

F. 286

125491

Brevis Historia

Conventuum Ordinis

S. Francisci Seraphici

reformatæ provinciae

S. Mariae

in

Hungaria

1860.

1218

P 3569

1718





566708 vk

~~B I 47~~

BREVIS HISTORIA

E216

CONVENTUUM ORDINIS

S. FRANCISCI SERAPHICI

REFORMATAE PROVINCIAE

S. MARIAE HUNGARIAE

EX AUTHENTICIS FONTIBUS

IN ARCHIVO PROVINCIAE EXISTENTIBUS DEDUCTA

PER

P. ODORICUM BALÁZSOVITS

EIUSDEM PROVINCIAE VICARIUM.



POSONII MDCCCLXIX.

Typis Francisci Regii Mayer.

129401

Praeclarum est, mentem historiarum cognitione instructam ac re-
fertam habere. — Historia enim conglobata quaedam et coacervata Sa-
pientia est, hominumque multorum mens in unum collecta.

S. Gregor. Naz. ad Nicobulum.





PRAEFATIO.



BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

A quo tempore **S. Stephanus I. Hungariae Rex**, Fidem Christi Catholicam summo studio, indefesso conatu, ferventissimo zelo, ac etiam manifesto cum vitae periculo invexit, eamque ceu unicam salvificam propulsatis infidelitatibus stabilivit, ac Sanctissimis Legibus firmavit; eo semper tam ipse **S. Rex**, quam piissimi Successores ejus — et per ipsum **S. Stephanum** fundati Episcopi; uti etiam per hunc **S. Regem** ex exteris Regnis in Hungariam advocati, hicque domiciliati Religiosi, nec non exemplo horum permoti potentiores Domini studia, vires, omnemque conatum contulerunt; ut Catholica Fides Christi in Hungaria majora in dies caperet incrementa.

Et quia multis experiētiis tam ipsi **S. Stephano**, quam successoribus eius Regibus Apostolicis, Episcopis, ac regni potentioribus Dominis constabat, Fidem Christi Catholicam, per Religiosos regno Hungariae potissima parte investam; stabilitamque esse — **S. Rex**, ejus Successores, Archi et Episcopi, nec non Proceres regni, in id impenderunt suam sanctissimam operam, ut tam Religiosi Ordines, quam eorum Claustra in hocce apostolico Hungariae Regno multiplicarentur; ut sic accrescente copiosiori messe, Ager quoque Dominicus copiosiores haberet operarios.

Non est Voti mei, de omnibus Religiosis eorumque

claustris, olim et hodie in Hungaria existentibus scribere, cum de his utique copiosiores Historiae loquantur — Scopus enim huius Opusculi est: ostendere, quam copiosa, pia Apostolicorum Regum, Archi et Episcoporum, ac potentiorum Dominorum saecularium piissimo sanctissimoque zelo, ac largissima munificentia, in hac Ordinis S. Francisci, Provincia S. Mariae, Monasteria surrexerint. — Ea solum recensere placet, quae expulsis Patria Turcis restaurata, vel a fundamentis aedificata fuere, talia sunt: Poseniense, Tyrnaviense, Soproniense, lauricense, Budense, Alba-Regalense, Strigoniense in Urbe Regia, Keszthelyiense, S. Catharinae, Sabariense, Érsek-Ujváriense, Nemet-Ujváriense, Malaczkense, S. Antonii in Insula Cituorum, Comaromiense, Mariano-Pratense, Papense, Sümegiense, Pestiense, Andacsiense, Kismartoniense ad S. Michaellem; item in Sacro Monte Calvariae, S. Ladislai, Strigoniense ad S. Crucem in Civitate Aquatica, Veszprimiense, Simontornyense, Mesztegnense — quae omnia Monasteria Regiis Litteris confirmata erant.

Neminem latet, sub faventissimo sectis Lutheri et Calvinii 145 annis durante Ottomanico Dominio; antiquos Conventus ad vota Haereticorum extinctos ac Soloaequatos fuisse; praementionati proin Conventus expulsis Turcis exurrexerunt, ad populum liberandum et reducendum e laqueis haeresum ad sinum S. Matris Ecclesiae, Romano Catholicae; non armis, non donis, sed ut plurimum suffragio paupertatis.

Interim, quamvis recensiti Conventus ad populum in Fide Catholica et bonis moribus informandum erecti ac fundati fuerint, quamvis nullius culpa reos se fecerint; Sua tamen Majestas Iosephus II. nonnullos illorum abolevit

alios confirmavit. — Quare autem recte illi Conventus sint aboliti, in quibus Fratres nostri Haereticos quamplurimos convertebant? benevoli Lectoris iudicio committo.

Hoc proin Opusculo Primordia Ordinis S. Francisci Seraphici, eius in Hungariam introductio — tum Conventuum praexistentium Origo, eorum pii Fundatores, et praecipuae vicissitudines proponuntur; ac tandem Conventus aboliti instar Appendicis breviter attinguntur.

Origo et Progressus Ordinis.

S. Franciscus Assisii in Italia, die 26. septemb. an. 1181. natus, dum cum initio conversionis suae, ferventi Orationis instantia, verae perfectionis semitam sibi a Deo ostendi postulasset; audivit die quadam anni 1206. inter Missarum solemnias verba illa, quae Christus Dominus suis Discipulis ad praedicandum Evangelium missis loquebatur, Math. 10. „Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta.“ — Audiens haec verba, mox virtute Spiritus Sancti de alto imbutus: „Hoc, inquit, est quod cupio“ et illico calceamenta deposuit, pecuniam abiecit, unica contentus tunica, dimissa corrigia pro cingulo funem sumpsit; omnem deinceps sollicitudinem cordis apponens; qualiter audita perfecerit. — Ita S. Bonaventura in Vita S. Francisci. — Et hisce iactum erat Ordinis S. Francisci Fundamentum, ad cuius Ideam semetipsum, futurum Fratrum et Filiorum suorum Exemplar, primus conformavit.

Crescente in dies virtute et fama Francisci, coeperunt eius salutaribus monitis et exemplo, Viri quidam ad poeni-

tentiam animari, ac ad Mundi, omnisque vanitatis contemptum incitari, ut reiectis omnibus, se se Ei habitu et vita coniungerent; quod evenit an. 1209. — Horum primus fuerat Bernardus a Quinta Valle, nobilitate, divitiis et scientia inter Assisienses spectabilis; quem eo ipso tempore sequebatur Petrus Cataneus, Cath. Ecclesiae Assisiensis canonicus; his mox iungebatur Aegidius perinde Assisias, usque dum Evangelicae paupertatis Magister undecim numeraret discipulos — quibus dein, et aliis innumeris, quos post se venturos praeviderat; ostensam sibi a Domino Regulam ex Evangelio conscripsit, Duodecim Capitulis distinctam.

Duodenaria haec voluntariorum pauperum Turma, cum dicta Regula, unanimi voto acceptata, duce S. Francisco Romam profecta est: ut quod Christus dictaverat, eius in Terris Vicarius videret et adprobaret. — Dum iam S. Franciscus ad Vicarium Christi propinquaret; obvium habuit Angelum lancredum, militem, nunquam antea visum; qui a Francisco proprio nomine vocatus, et ad suum Sodalitium invitatus, similiter relictis omnibus, duodenarium Sociorum numerum complevit. — Franciscus ad conspectum Summi Pontificis Innocentii 3. benigne admissus, Regulae suae per Pontificem vivae vocis Oraculo adprobatae Solennem Professionem cum 12. Sociis suis, in manibus eiusdem Pontificis emisit an. 1210. — Anno autem 1223. die 20. Nov. accepit a Honorio 3. Bullam confirmationis Regulae et Vitae Fratrum Minorum, quos ipse per se vel per suos Vicarios rexit, usque ad diem 4. Octobris an. 1226. quo solutus corpore, abiit in coelum, et anno 1228. die 16. Iulii Sanctorum canoni adscriptus est a Gregorio 9. cui saepe summum Pontificatum praedixerat.

Initia Ordinis S. Francisci in Hungaria ad ipsum Fun-

datorem referuntur, qui redux ex Oriente per Illyricum venit Zagrabiam an. 1220. — Hic eius commorationem describit P. Cherubinus Tabsics, Minister Provinciae his verbis: Huius sacrae capellae, ubi olim cella eiusdem S. Patris fuerat, prima olim Fundatrix fuerat D. Catharina Gallovis vidua, multis Praediis dives, apud quam peregrinus S. Pater hospitium oravit, et a qua non modo hospitium, sed etiam Fundum impetravit, in quo S. Pater cum suo socio abstractam et solitariam vitam aliquamdiu duxit, et postmodum in eodem Fundo Residentiam struxit, in qua relictis duobus Religiosis hoc Institutum amplectentibus, in Italiam remeavit. — Hanc Capellam vetustate temporis plane collapsam restauravit, ampliavitque nobilis Vidua Helena Pataschich. — In hoc Sacello usque in praesentem diem, hi Versiculi leguntur:

Hic Locus ille ipse est humilis, pauperque perennem,

Quem sibi Franciscus fecit in hisce plagis.

Cum reducem Illyrium Turcis suscepit ab oris,

Nec visus talis Religiosus erat.

Dat Vidua Hospitium hic, mendicantique negare

Non potuit, petiit quem Pater iste locum.

Expost ornavit Vidua altera: Maximus ergo

Ambabus Requiem det Deus ipse suam.

Primus igitur omnium S. Francisci Conventuum sub sacra Corona Regni Hungariae fuit Conventus Zagrabiensis, qui primordia sua ipsi S. Patri tribuere debet; qui velut Praecursor Zagrabiam venerat, ut suis Filiis viam in Hungariam praepararet. — Caeterum ingressus Fratrum nostrorum in ipsam Hungariam, adnotatus habetur in Historia Conventus Strigoniensis.

Primaevi Conventus nostri in Hungaria per Ministros Germaniae regebantur; verum an. 1239. in Capitulo Ge-

nerali, iussu et sub praesidio Gregorii 9. Pontificis Romae celebrato, facta est solennis divisio Provinciarum Germaniae — in quo etiam Hungaria cum suis partibus in distinctam Provinciam a Germania independentem, evecta est. — Ab hoc proinde anno propriis parebat Ministris Provincialibus, incoepitque vocari: „Provincia Hungariae“ cui primus Minister Provincialis per ipsum Pontificem constitutus fuerat: Ioannes, frater carnalis Philippi 3. (audacis) Francorum Regis.

Multiplicatis Conventibus, sicut alibi locorum, ita etiam in Hungaria suscitata fuit controversia ratione Ecclesiarum Conventibus nostris iunctarum: an nempe dictae Ecclesiae Conventuales essent? quam controversiam solvit Innocentius 4. anno 1252. Edicto: „Orbis et Urbis“ Omnes Ordinis nostri Ecclesias, conventuales esse, declarando. — Alexander 4. an. 1255. distinctum Provinciae nostrae Hungariae Privilegium contulit; Virtute cuius Fideles omnes in Ecclesiis nostris, diebus Dominicis et Festis, Missam audire, et Ecclesiae Sacramentis a Fratribus nostris refici possunt; cuius Bulla incipit: „Quaedam ab Apostolica.“ — Originale sub plumbo asservatur in Archivo PP. Conventualium Viennae ad S. Crucem, illis procul dubio temporibus illuc repositum, quibus Turca et dein Haereticis in Hungaria praedominantibus, ipsa etiam Capitulorum, aliorumque credibilium Locorum Archiva in finitima ac tutiora Loca translata fuere.

Anno 1250 die 19. Aprilis, idem Pontifex Alexander 4. Ordinem Fratrum Minorum, Ordinem Missionarium esse declaravit, et Fratres eius, autoritate Apostolica ad praedicandum Gentibus Iesu Christi Evangelium misit; Bulla, quae incipit: „Cum Hora.“ — Dilectis Filiis, Fratribus de

Ordine Minorum, in terris Saracenorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Sirorum, Iberorum, Alanorum, Gothorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscellinorum, Tartarorum, Hungarorum in parte quam Schismatici tenent, aliarumque infidelium Nationum proficiscentibus, Apostolicam Benedictionem. — — Vos igitur, quos iuxta professae Religionis Officium, zelus comedit Animarum, et in quadriga quarta, quam variis charismatum donis et fidei fortitudine trahitis, ubique discurrere ac Vexillum Regis Gloriam procul levare gestitis — ad Gentes, quae Iesum Christum Dominum non agnoscunt — et ad subtractionis Filios, qui S. Romanae Ecclesiae non obediunt, destinamus, ablegamus et mittimus.

Privilegia vero in eadem Bulla ipsis attributa fuere sequentia: ut baptizare, in unitatem Fidei Orthodoxae aggregare, ab Excommunicationibus, aliisque Censuris absolvere valerent; item dispensare cum iis, qui his irretiti aut Ordines susceperunt, contulerunt, aut divina celebrarunt; dispensare in gradibus ab Ecclesia prohibitis in ordine ad contrahendum matrimonium; cum Irregularibus, casibus iis, in quibus solent Legati Sedis Apostolicae dispensare, etiam in defectu natalium, dummodo non sint de adulteris vel incaestu cum Saeris prognati; absolvere Occisores Clericorum et Regularium, prout etiam Apostatas tam Status Ecclesiastici quam Regularis — Ecclesias fundare aut reconciliare, Rectores iis idoneos praeficere, refractarios per Censuram Ecclesiasticam compescere etc. — Haec ideo adducere placuit, ut Posteritati innotescat, quae fuerint Maiorum nostrorum Studia — Ordinem nostrum ad onus Apostolicum praedicandi Gentibus Iesu Christi Evangelium, vocatum esse.

— At una sciendum: praelaudata Privilegia apud Gentes iam ad Fidem Romano Catholicam conversas, suisque Ordinariis Episcopis et Parochis provisas expirare — perdurare attamen praesentem usque diem in partibus infidelium, in quibus Fratres Ordinis nostri, *qua Missionarii* Apostolici funguntur.

Gratiis et Privilegiis, quae Summi Pontifices ad augendum Domus Dei incrementum Ordini S. Francisci contulerant — accensentur etiam Indulgentiae Sacri Calvarii, quarum origo, et progressus e Bullis Summorum Pontificum exceptus in brevitate sistitur:

Exercitium Viae S. Crucis.

Postquam Innocentius 12. die 24. Decemb. an. 1692. omnibus Fratribus et Ordinis nostri Monialibus (Clarissis) item piis Congregationibus in Ecclesiis Fratrum Minorum erectis, hoc est: Confratribus sub nomine III. Ordinis intellectis, et Exercitium Viae S. Crucis in Ecclesiis I. et II. Ordinis S. Francisci peragentibus, et una pro concordia Christianorum Principum, haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias preces ad Deum fundentibus, semel quolibet mense plenariam Indulgentiam et remissionem peccatorum, per modum suffragii etiam defunctis applicabilem; verbo: omnes illas coelestes gratias, quas Peregrini S. Civitatis Ierusalem, ipsa Loca ubi Christus passus est invisentes, et memoriam Passionis Domini recolentes merentur, concessisset. — Et tardius exemplo Fratrum et Congregationum ducti fideles Christi, etiam Ministro Generali non subjecti, h. e. nec tertii Ordinis, nec alteri cuiquam in Ecclesiis Fratrum Minorum erectae Congregationi inscripti

— magno numero ad ecclesias Fratrum Minorum peragenda cum Fratribus et Confratribus Viae Crucis gratia confluere cepissent.

Benedictus 13. Pontifex, a Fratre Iosepho de Maria ab Eborā, Procuratore Generali Ordinis Minorum exoratus — Indulgentias plenarias ab Innocentio 12. Fratribus et Confratribus, Passionem Domini penes Exercitium Viae Crucis recolentibus concessas, ob idem meritum extendit ad omnes utriusque sexus Christi fideles, qui in ecclesiis Fratrum Minorum, sub directione Ductoris Viae Crucis per Stationes 14. ad normam Calvarii Ierosolymitani constructas, passionem Domini recoluerint. V. Nonas Martii, an. 1727.

Extensis taliter autoritate Apostolica plenariis Indulgentiis, ad omnes Fideles, qui peragenda Viae Crucis gratia ecclesias Fratrum Minorum visitaverint, factum est; quod fideles e remotioribus etiam partibus tam numerosi ad ecclesias dictorum Fratru confluerint; ut locus in ecclesiis pro illis non suffecerit, et qui magis remoti erant, amare querulabantur, quod tam salutiferae devotioni interesse, et Indulgentiarum participes fieri nequirent. — His querimoniis moti Curatores Animarum, cum scirent, facultatem erigendi Calvarias Ordini Fratrum Minorum a Summis Pontificibus concessam haberi, medio suorum Ordinariorum a Ministro Generali postularunt, quatenus per suos Fratres in locis etiam extra ecclesias Ordinis sui, Calvarias erigendi facultatem daret. — Cum autem Minister Generalis ad erigendas extra ecclesias suae Iurisdictionis Calvarias semet minus autorisatum sensisset; F. Bernardus Monverde Procurator Generalis pro hac facultate ad Pontificem recurrit, qui etiam petitam facultatem concessit, tenore sequenti:

Clemens 12. etc. ; Nos petitioni oratoris F. Bernardi deferre cupientes, decernimus: quod praedicta loca pia Viae Crucis, seu Calvarii, in Ecclesiis, Oratoriis, Monasteriis, Hospitalibus, et aliis piis Locis, ipsi Ministro Generali non subjectis, nec ab eo dependentibus, per Fratres dicti Ordinis nunc erecta, et in posterum erigenda, iis Indulgentiis et Privilegiis fruantur, quibus fruuntur Calvariae in Ecclesiis praedicti Ordinis; ita tamen ut in iis deinceps erigendis, ille modus et forma observetur, qui hactenus penes erectiones Calvariorum in Ecclesiis Fratrum Minorum observatus fuit; et accedat consensus Ordinarii Loci, Parochi, Superioris Monasterii vel Hospitalis, vel alterius Loci pii. Datum Romae die 16. Ianuarii an. 1731.

Tandem Benedictus 14. die 30. Aug. an. 1741. ad instantiam F. Leonardi a Portu Mauritio Procuratoris Generalis, omnia suorum Praedecessorum Privilegia confirmavit, ita tamen ut erectis iam Calvariis novae non erigantur, nisi in locis remotioribus, e quibus fideles ob magnam distantiam, aut viarum asperitatem, ad erectas iam Calvarias venire non possunt. — Ritus erigendi Calvarias specialis habetur.

Vicissitudines huius Ordinis in Hungaria.

Anno 1242. grassantibus biennii spatio in Hungaria Tartaris primaevi Conventus magna parte excisi et ruinati sunt; quos post abitum Tartarorum pictas Belae 4. Regis, Archi et Episcoporum, nec non Regni Procerum restauravit. — Successu temporis per Reges et Reginas Hungariae, Stirpis Arpadianae et mixtae, numerosa in diversis Locis Monasteria erecta, Ordinem S. Francisci in Hungaria florere

fecerunt — sed quia omnia sub sole mutationibus sunt obnoxia, ita et haec Provincia Hungariae subsequis saeculis tristiora subiit fata; P. Eugenius Kósa his verbis lamentatur super sorte eiusdem Provinciae: „Saeculum hocce (15-um) tantis rerum nostrarum conversionibus et perturbationibus implexum contueor, ut eodem hocce saeculo, imo insequenti, quidquid Provinciae huic emolumenti in Fidem catholicam, quidquid decoris universo Franciscanico Sodalitio saeculis praeteritis duobus collatum fuerat, id totum — videretur abolitum comminutumque; ad eas equidem Provincia redacta fuit incitas, ut sicut ingenti cum accremento Conventuum repente consurrexerat olim; ita demum se exterminio proximam merito formidare poterat, eo potissimum tempore, quo Christiani et Catholici nominis hostes praevalentes numero, fortunis et successibus Patriam hanc inundaverunt.“ Verum atrae hae nubes tantum paulatim se levabant, coelo serenitatem tunc adimentes, quando dominium Turcarum et Protestantium per magnam Regni partem se diffundebat.

Initium imminutioni huius Provinciae datum est per Iulianum Cardinalem, sedis Apostolicae apud Regem Hung. Legatum, qui Conventum Budensem ad S. Ioannem, et Pestiensem ad S. Petrum nobis ademit, et Observantibus, modernis S. Salvatoris Provinciae antenatis Patribus (qui se a Provincia Bosnensi an. 1444. separarunt) annuente Eugenio 4. tradidit. — Pariter ad votum Ioannis Hunyady regni Gubernatoris, ademptus est Conventus Strigoniensis an. 1448. et suprafatis Patribus collatus. — Hi tres Conventus nonnisi saeculo 17. sunt restituti, post eiectionem Turcarum qui aedes illas penitus ruinarunt. — Hanc ademptionis sortem subiit Conv. Sáros-Patakiensis an. 1448. et de Újlak an.

1454 — Turcae vero Conv. Nagy-Engh, N.-Olaszi, Zemlin, Rednek, in Franca-Villa (Slavonia) ubi primus Minister huius Provinciae tumultus fuerat, 1453 everterunt.

Videns Fabianus Igal, zelosus huius Provinciae Minister omnia praecipiti casu in deteriora verti, edidit constitutiones in Conventu Agriensi cum consensu Capituli die 8. Aprilis 1454. pro restauratione Provinciae et Spiritus religiosi; quam Reformationem Provincia sponte amplexa fuit, et exinde dicta est: „Provincia Hungariae Conventualium Reformata“ — Fluctus, quibus Provincia multis annis misere iactabatur, sedavit tandem Callistus 3. datis suis Litteris „Regiminis Universalis Ecclesiae.“ 1455. XI. cal. septemb. quibus prohibuit, ne quis deinceps per se vel per alium, quovis sub titulo aliquam domum, Monasterium, seu Locum Fratrum Conventualium Reformatorum aut Monialium, de novo capere aut retinere audeat, sub poena Excommunicationis. — Cuius effectus erat, quod neglecta Monasteria, resumptis viribus restaurarentur. — Ardens dein desiderium fuit multorum, ut hae duae Provinciae, Conventualium et Observantium in unam coniungantur; in quo etiam Proceres, uti Bartholomaeus Drágfy, et Petrus Geréb regni Palatinus, et alii nobiles, circa an. 1500. laborarunt; verum his conatibus effectus non respondit; credi potest propter odia quae praecesserunt; tum propter Nationalismum, nam Conventuales erant Hungari, quorum sensus erga alias nationes nunquam proclivis fuit.

Anno tandem 1523 in Capitulo generali, Burgis in Hispania iussu Leonis X. celebrato, decretum fuit: ut Provincia Observantium, „Provincia Hungariae SS-mi Salvatoris;“ Conventualium autem, seu nostra „Provincia Hun-

gariae S. Mariae“ nuncupetur, quod nomen utraque huc-
dum retinet.

Effectus cladis Mohácsiensis.

Vix composita autoritate Callisti 3 Pontificis inter
duas Provincias concordia, Sidus Hungariae, adeoque et
Ordinis huius misere occubuit. — Profligata nempe Hun-
garorum acie per Mahomedanos ad Mohács 1526. paulo
post luctuosissima supervenerunt tempora regno, Religioni
Catholicae, et cum hac Provinciae quoque nostrae; quod
palam fiet, si consideraverimus; quod 1533. adhuc 9.
Custodias, et in his 37. Conventus numeraverat; cum exitu
vero huius saeculi, 6. dumtaxat Monasteria remanserunt.

Amisos tamen Conventus, ubi Turcarum, haereticorumque
potentia invaluit, non ita protinus deseruere Maiores
nostri, quia illorum plures donec aetate et viribus polle-
rent, ut Missionarii palam clamve remanserunt, in oppidis,
urbibus villisque vicinis, extirpando illius aevi vitiorum
sentes; Orthodoxamque fidem, qua poterant conservare
satagendo; ac in aedibus Catholicorum privatis, saepe ver-
bum Dei proponebant, et sacramenta fidelibus administra-
bant. — Quis calamo exarare posset, quas eapropter non
tam a Turcis, qui Franciscanos in sua Patria perprius no-
verant et actu noscunt, tolerantque; sed a haereticis expe-
riri debuerint iniurias, et crudelissima supplicia — in infeli-
ci clade Mohácsiensis periire complures Fratrum, exercitum
Regis comitantium, quos inter Antonius Szegedy confessarius
Ludovici Regis, profligata Hungarorum acie, diu multumque
adhuc pugnans, accepto in facie praegrandi vulnere, con-

scensoque sorte oblato equo, vitam salvavit, quam deformato vultu diu protraxit.

In Conventibus autem quot numero Patres et Fratres manu haeretica extincti fuerint, nec in Provinciae Necrologio adaequate connotatum habetur. — Sufficit, quod Solymannus hanc ferocem persecutionem tantisper mitigaturus, Franciscanos, factione Lutheranorum Agria pulsos, Budam receperit, et eis in vicinia Budensi tria hospitia assignaverit, unde verbum Dei annunciarent. Ex hocce Solymanni facto explicari potest 1. Quare haeretici per 145 dominationis Turcicae annos, licet a Turcis pecuniam sitientibus, eius suffragio omnes possibles favores impetrare et proficere adnitentes, non existentibus licet aliis sacerdotibus, in peripheria Budensi Catholicis praevalere non potuerint; 2. Quae causa, quod Turcae, non obstante sua barbara feritate, erga nostros modico favore ducti, nostrorum precibus passim detulerint? — Agnovit Barbarus humanitatem et iustitiam, ideo immanitatem haeticorum reprobavit.

Attenuatis et iam iam extinctis Conventibus per Victricia Turcarum arma, Provincia pristinum suum decorem moerore confecta lugebat; vidit enim non tantum suae; sed et totius Patriae ac Religionis Catholicae cervici gladium imminere, signanter sub haeticorum rebellantium ducibus: Bocskey, Bethlen, Rakóty, Tököly, omne quod Catholicum erat occupantibus et conculcantibus. — Et hinc est, quod in ambitu modernae Provinciae nullus iam nunc e Saeculi 13. et 14. Conventibus vel in ruderibus existat, praeter Poseniensem et Soproniensem; quod eo magis dolendum, quoniam aliqui eorum, uti Sabariensis, Sicambriensis, et plures in Cis-Danubianis et Cis-Tibiscanis partibus per Elisabetham, Ludovici M. matrem, eleganti stylo gothico

aedificati aut reformati erant. — Inter haec tristissima rerum adiuncta an. 1606. celebratum fuit Capitulum generale Toleti in Hispania, ubi definitum erat, ut e duabus Hungariae Provinciis, S. Mariae et SS. Salvatoris, una efficiatur sub nomine „Provinciae Hungariae“ in tantas enim utraque Provincia intra paucos annos redacta fuerat angustias, ut haec nostra quatuor solummodo Conventus: Poson. Sopron. Varasd. et Ormosdiensem haberet (Tyrnaviensi in manibus Protestantium existente) Provincia SSmi Salvatoris aequae quatuor numerabat, Gyöngyösiensem, Szegediensem, Szakolczensem, et Csikiensem in Transylvania. — Ast Provincia Mariana eam unionem constanter recusabat, spe freta, quod Deo adiutore, Hungaria ab Ottomanica potentia sub gloriosissimis e Domo Austriaca Regibus, revindicanda, suos olim Conventus iusto numero receptura sit. — Nec vano augurio, nam successive turbulentissimis etiam illis temporibus, novi ac veteres Conventus accesserunt.

Eiectis Patria Turcis, Antonius Lazari Definitor generalis anno 1689 die 24. Iulii limites Provinciarum definiuit, edito Galgotzii Decreto, quod per Patres trium Provinciarum (S. Ladislai, Salvatoris et Mariae) subscriptum, ac per Leopoldum I. confirmatum fuit. — Circa medium saeculi 17. quaerebatur numerus ad fidem Catholicam per Fratres nostros conversorum, quorum utique numerus soli Deo cognitus nabetur; sufficit: Oppida et villas nostris Conventibus vicinas olim haeresi infectas, nunc esse Catholicas.

Anno 1727. missus est ad hanc Provinciam Commissarius generalis P. Hugo Babler, Provinciae Austriae Exminister; qui convocato Sopronium Definitorio pro 29. Iulii, iussit actualem Provincialem P. Antonium Pozsonyi resi-

gnare, et productis Patentibus ac Brevibus, proposuit alternativam electionem tripartitam Provincialium, Definitorum inter nationes: hungaricam, germanicam et slavonicam, sub qua Croatiae quoque comprehenduntur. — Convocati Provinciae Definitores, etsi summe adversarentur his propositionibus et Decretis, se tamen Censurarum metu opponere non audebant.— Quare, hic Commissarius prosequendo suam commissionem, per Breve apostolicum denominavit in Provinciale P. Capistranum Sebach Provinciae Patrem, huius alternativae authorem, et caeteros Definitores praevia ad Conventum Soproniensem accitos iam e triplici natione. — Et haec est origo Alternativae usque praesens perdurantis.

Aetas et Origo Provinciarum S. Franc. in Hungaria.

Multae sub S. Corona Hungariae numerantur Provinciae Ord. S. Francisci, uti: S. Mariae; SS. Salvatoris; S. Capistrani; S. Stephani; S. Ladislai; S. Crucis; SS. Redemptoris, item Minoritarum Conventualium; quae omnes unius eiusdem Patris S. Francisci filios suo sinu complectuntur; quod quia multis curiosum videtur, ad scopum huius Opusculi pertinere putaveram, praementionatarum Provinciarum originem et aetatem exhibere.

Originaria sub Regni Hungariae corona extitit, sic dicta „Provincia Hungariae“ ab an. 1239. ita compellata, cum ab an. 1225. usque 1239. Custodia Strigoniensis vocaretur. — Haec Provincia Hungariae olim extendebatur per totam Hungariam, Transylvaniam, Slavoniam et Croatiam; ex cuius rudibus remansit nostra Provincia, quae ab an. 1523. „Provincia S. Mariae nuncupatur“, et a temporibus Iosephi 2. solum 20. Loca numerat.

Provincia S. Ladislai, est immediata filia Provinciae S. Mariae, utpote: e duabus Custodiis, Zagrabiensi et Quinque Ecclesiensi composita, an. 1655. in Capitulo Poseniensi, postulantibus Croatiae Vocalibus, cum consensu Definitorii, a matre separata, et an. 1661. titulo Provinciae ornata — numerat Loca per Hungariam et Croatiam 15.

Provincia S. Stephani in Transylvania etiam pro filia Provinciae Marianae haberi potest; enim vero in Capitulo M. Varadiensi anno 1533. celebrato, nona Provinciae Marianae Custodia recensetur Transylvaniensis, cum Conv. Bisztricensi, Szcheniensi etc.—Verum tardius deletis per haereticos conventibus, haec Custodia esse desiit. — Anno tandem 1639. F. Casimirus Domokos, laicus e Conventu Tyrnaviensi, cum facultate Superiorum in Transylvaniam suos parentes visendi gratia, et si fieri posset, eos ad fidem Catholicam reducendi studio concessit; ubi iungens se duobus e Provincia SS. Salvatoris Patribus: Nicolao Somlay et Martino Szere-day insignem pro religionis et Ordinis reflorescentia operam tulit. Quod videns illius Missionis praefectus, F. Casimirum Romam mittit, duplici e causa: primo, ut ibi sacris initiaretur, dein ut Conventus Transylvaniae in novam Custodiam erigerentur. Utrumque obtinuit, et in custodem Transylvaniae electus redivit; nec multo post Pontificio diplomate Vicarius generalis apostolicus per Transylvaniam creatus, et consecratus Eppus Coronensis in Graecia, munus Eppale exercuit; huius igitur opera instaurata est Custodia Transylvaniae, et vicinae Provinciae SS. Salvatoris adnexa, a qua semet an. 1640 separavit, impetrato titulo Provinciae S. Stephani Hung. regis.

Reliquae Provinciae sunt filiae foecundissimae matris

Provinciae Bosnensis. — Cum enim Ioannes de Plano Carpino, comes Divi Francisci praedicandi Evangelii studio in Bosniam venisset, et gentem variis erroribus infectam reperisset, aliquot sui Ordinis Fratres in Bosniam advocavit. — Hi omnem conatum adhibuerunt, ut Catholicos in fide continerent et solidarent, errantes in viam veritatis reducerent, atque infideles e tenebris et umbra mortis, ad lucem Christi perducerent.

Incolae regionis, videntes simplicem vitam Fratrum Minorum, qui non divitias, non mundanos honores, sed unice salutem animarum, earumque spiritualem profectum quaerebant; non modo pronos ad fidem illorum doctrinae praebendam se exhibuerunt, verum paupertate Fratrum moti, plura illis Coenobia struxerunt, tanta aemulatione, ut iam an. 1228. plures Conventus Fratrum in Bosnia sub titulo Custodiae Bosnae Argentinae extiterint. — Haec eadem Custodia in Capitulo generali an. 1260. sub S. Bonaventura Ministro generali Narbonae celebrato, Vicaria Bosniae vocari coepit, fuitque in 8. custodias divisa, quarum quaevis plura Monasteria numerabat.

Cum vero numero Conventuum plurimum aucto, ad tam vastam Vicariam regendam unus Vicarius haud sufficiens esset, successu temporis, eam in plures Vicarias independentes partiri oportuit.

Provincia SS. Salvatoris. Circa annum 1376. multae familiae e Bosnia metu hostium in Hungariam immigrarunt, tutelae Ludovici Regis semet credentes. — Quia vero Parochi dictorum advenarum linguam non intellexerunt, — postularunt immigrantes Bosnitae e Patria aliquot Patres, quos etiam impetrarunt. — Hi Patres primum obtinuerunt locum

in Dioecesi Csanadiensi Cseri dictum, a quo Loco aliquo tempore Fratres Cserienses vocabantur.

A tempore Concilii Constantiensis, h. e. ab an. 1415 dicti sunt: Fratres Observantes; dumque in dies plura Loca acquisivissent, an. 1444. semet a Provincia Bosniae separarunt, et „Vicariam Hungariae Observantium“ constituerunt; quae Vicaria an. 1517. per Leonem X. Pontificem Provincia fuit declarata, et an. 1523. in Capitulo generali Burgis in Hispania celebrato, titulo SS. Salvatoris decorata extitit. — Possidet haec Provincia in Hungaria Loca 25.

Provincia S. Hieronymi in Dalmatia, separata est a Matre Bosniae an 1469. numerans per Dalmatiam Loca 12.

Provincia S. Crucis, an. 1514. a Bosnensi separata numerat Loca per Croatiam et Carnioliam in simul 12. — Porro ab eadem matre anno 1676 separavit se Provincia Bulgariae. — An. 1735. Provincia SS. Redemptoris in Dalmatia. — Tandem ipsa haec Bosnensis Provincia, tanta nunc existentium Provinciarum mater Bulla separationis Benedicti XIV. an. 1757. bifariam ea lege divisa est: ut Conventus in Regno Bosniae Missiones Apostolicas curantes, Provinciam „Bosnae Argentinae“ efformarent; reliqui vero in Hungaria et Slavonia situati Conventus, novam Provinciam sub titulo S. Ioannis a Capistrano constituerent. — Haec Provincia an. 1825. incorporatione 4. Austriae Conv. aucta numerat Loca 23.

Anno 1843. Patres Herzegovinienses, obtenta facultate in Patria Conventus erigendi, a Provincia Bosniae semet subtraxerunt; et obtento anno 1846 Vicario Apostolico a Bosnensi separato: ab an. 1852 distinctam efficiunt Provinciam a Bosniae independentem.

Sicque Provincia Bosnensis, antiqua et foecundissima mater, numero Conventuum et Fratrum imminuta, omni libertate ac securitate spoliata, sibi que soli relicta, ac velut olim Anna prophetissa 1. Reg. 2. 5. quae multos habebat filios, infirmata, ingemuit. — Nunquam tamen de fortitudine, virtute, zelo, et constantia aliquid remisit; persistit actu in Bosnia, ubi numerat Conventus 5. et Residentiam Constantinopoli, anno 1864. numerabat Presbyteros 173. — Administrat Parochias 58. Capellanas Locales 18, in quibus filiales 896. Nrus Catholicorum 152,326.

Provincia Minoritarum. — Pulsis Patria Turcis, PP. Conventuales, Minoritae dicti, e vicina Polonia in Hungariam immigrarunt, impetratisque favore Dioecesanorum et nonnullorum Procerum aliquot Monasteriis, Provinciam sub titulo S. Elisabeth efformarunt — an. 1715, in generali regni Diaeta, ad augendum et propagandum Dei cultum inter reliquas religiosas familias recepti fuere, numerant in Hungaria et Transylvania Loca 17.

Historia abolitionis Religiosorum.

Si quid pro laude Gentis Hungariae cum veritate proferre licet, audax assevero; nullum regnum, nullam Gentem, suorum antenatorum maiorem erga Deum pietatem comprobare posse, ac Hungaram; neminem latet, per 145 annos dominationis Ottomanicae, omnia loca sacra, qua saltem Luna orientalis diffundebat radios suos, ruinata et solo aequata fuisse; dum autem illuxisset post nubila Phoebus, h. e. ab anno 1686—1780. adeoque intra unum Saeculum, quanta Claustra cum Ecclesiis fuerint pietate Hungarorum restaurata; quanta item nova in diversis Lo-

cis erecta, optime patescit ex Historia abolitionis Religiosorum Ordinum; quam eo fine propono, ut discat posteritas, quae fuerit Maiorum nostrorum in Deum pietas; item ut adminus de nomine noscat religiosos Ordines olim in hocce Regno Mariano florentes.

Anno 1780. Mariae Theresiae (sub qua per Bullam Pontificis Ordo Societatis Iesu an. 1773. abolitus fuit, an. 1853. revectus) successit eius filius Iosephus 2. qui cassavit Ordines sequentes: 1. Ordinem Nazaraenorum: ad Agriam; in Péliföld ad Strig.— in Both Dioec. Alb.; in monte Mariae ad Nitriam; iam per M. Theresiam 1770 cassatum; at per Iosephum cassatione plenarie consummata. — 2. Ordinem Camaldulensium: in Maik; in Scepusio; in monte Zobor; in Landsee ad Sopronium, an. 1782. — 3. Ordinem Clarissarum: Poonii; Tyrnaviae; Budae; Pestini; Zagrabiae; an. 1782. — 4. Trinitarios; Illaviae; Poonii; Tirnaviae; Comaromii; Albae-Carolinae; Agriac; in Saros-Satak; Vetero-Budae, et in sylvis Budensibus ad Quercum. An. 1783. — 5. Carmelitas: Budae; Albae-Regiae; 1784. — 6. Paulanos: Samariae in Csallököz; 1785. — 7. Paulinos: in Valle Mariae ad Poonium; in Maria nostra; Maria Család; Pestini; Quinque-Ecclesiis; Satoralja; Papae; in Terebes; Banfalvae; in Tüskevár; Nizsider; Sassinii; Szakolczae; Tyrnaviae; in Elefant ad Nitriam; M.-Varadini; in Diösgyör; in Késmark; Tordae in Transylvania 1786. — 8. Dominicanos; Pestini; Vacii; Quinque-Ecclesiis; 1786. — 9. Camillanos: Iaurini in allodiis. — 10. Servitas; in Loretto, et in Váth prope Sabariam 1787.

Cassavit Sacrum Ordinem Benedicti, 1786 — Ord. Canon. Praemonstratensium, 1785. — Cisterciensem 1787. — Hos Ordines Franciscus 1. 1802. restituit, eo

motivo ductus; quod hi sacri Ordines, Mariae Theresiae hostibus pressae, ad expeditionem bellicam praeter Bandera armis et equis debite instructa, 100,000 aureorum obtulerint, et sub Francisco I. dominia dictorum Ordinum vix pro conservatione aedificiorum suffecerint. — Denique cassavit etiam PP. Augustinianos VEcclesiis, et Budae in via Regia 1785. — Franciscanos quidem non cassavit, sed eorum claustra et numerum admodum imminuit.

Prohibuit etenim susceptionem Alumnorum ad Ordines religiosos, quo facto, intra paucos annos tanta fuit enata egentia Presbyterorum, quod ipsae etiam Dioeceses sufficientibus animarum Curatoribus caruerint. Etenim cassatis Religiosorum domibus, multiplicabantur quidem Parochiae, Locales capellaniae, et cooperaturae; at decursu plurium annorum, religiosa individua partim emortua, partim per senectutem ad servitia inhabilia evaserunt. — Anno 1789. Excelsum Consilium ursit, ut P. Provincialis 7. Presbyteros ad Dioecesim Neosoliensem; item aliquot ad Csanadiensem mitteret. — Verum ad impossibilia nulla obligatio; ut itaque indigentis succurratur, ad recursum Ministri Provincialis, die 6. Dec. 1791. admissa fuit susceptio 24. Novitiorum, defixis pro novitiatu tribus Conventibus, ast incassum; iuventus scholastica pro genio illius aevi liberrime educata, divinis leniter imbuta, vitabat Statium religiosum adeo, ut primis annis nonnisi duo vel tres suscipi petierint. — Ex hoc, praeter alias etiam causas, intelligi potest cur Provincia haec recusaverit transumptionem septem. Conventuum Croatico-Maritimorum Provinciae Carnioliae, per Exc. Consilium die 18. Oct. 1791. oblatorum. Haec indigentia Individuorum perdurabat pluribus annis, adeo, ut 1807. in annalibus Provinciae haec

occurrat adnotatio: „Et nunc quoque tantus est in Conventibus individuorum defectus, ut vel pro domesticis necessario obeundis servitiis haud sufficientia reperiantur. — Dominis Parochis vero vix, aut ne vix quidem quispiam presbyterorum subministrari queat“. — — Iam nunc plures Parochiae suis pastoribus viduae gemunt, sed necdum calamitatum finis.

Simili egestate individuorum premebatur cum aliis, Provincia Austriae S. Bernardi, quae lapsu 30. annorum e suis Conventibus nonnisi 4. manutenuerat. — Hae Provincia Austriae, unde nostra olim an. 1239. sua traxerat incunabula, nunc cum sua filia uniri optabat. — Quo in negotio tractatum orsus est ipse Conventus Viennensis, prosequeretur apud Archi-Constitorium P. Provincialis Austriae; tandem e mandato Exc. Consilii tractavit Celsiss. ac Rmus Princeps Primas, Alexander Rudnay, cum Ministro Provinciae Marianae 1821. die 31. oct. scribens: quod agatur 1. de promovenda Dei gloria, animarumque salute. 2. de conservatione S. Ordinis in Austria. 3. de clementissima eaque propensa in S. Ordinem suae Majestatis Stmae voluntate. 4. de Provinciae Marianae in Austriam quoque extensione, non vero de aliquo ei inferendo praeiudicio; et concludit: „Caeterum Pattem Vestram et Provinciam in antecessum persvasam esse volo, me nunquam admissurum, ut seu existentia, seu nomen Provinciae Marianae Hungariae, in periculum adducatur.“ at ob individuorum germanorum in hac Provincia defectum (qui tamen reparari potuisset) oblata unio — proh dolor! confecta non est.

Praeter obligationem praedicandi, habuit haec Provincia olim etiam obligationem docendi, in quibusdam Gym-

nasiis, huic Provinciae traditis, uti: Keszthelyini ab an. 1771. — Sabariae ab an. 1772. — et Strigonii ab an. 1776. — Quorum prima duo restituti 1802 per Franciscum I. Praemonstratensibus; postremum Benedictinis, tradita sunt. — Anno vero 1842. consignatum erat Provinciae Gymnasium Érsek-Ujváriense, quod quidem sub novo systemate Studiorum 1852 cassatum; verum an. 1861. rursus apertum, auctis viribus denuo transiit Ordo.

Anno 1852. die 25 Iunii, Sua Sanctitas Pius 9. Emin. D. Card. Ioannem Scitovszky per Breve Apostolicum, constituit Visitatorem Apostolicum omnium Ordinum regularium per Hungariam. — Qui an. 1854 hanc Provinciam visitans, convocavit Capitulum electivum Posonium pro 20. Iunii, ubi primum coordinavit interna negotia; dein ad electionem Ministri et caeterorum Officialium procedens, revexit in locum duorum Consultorum (qui ab an. 1791. per Exc. Consilium eligi iuebantur) quatuor Definitorum et Custodis electionem. — Durantibus his sessionibus, Sua Eminentia plures devotas personas induit vestibus tertii Ordinis S. Francisci.

Denique a. 1855. vi Concordati inter Suam Sanctitatem Pium 9. summum Pontificem, et Suam C. R. Maiestatem Franciscum Iosephum, art. 28. restitutus est Ordinibus Religiosis nexus cum suis Superioribus Generalibus, penes Apostolicam Sedem residentibus.

Perennis gratitudo postulabat ad memoriam posteritatis perferre nomina pientissimorum Praesulum, tempore scripti huius Opuseculi gloriose gubernantium suas Dioeceses, in quibus haec Provincia Conventus, passim a pientissimis eorundem Praesulum Antenatis fundatos, tenet.

Universalem Ecclesiam feliciter gubernans
Romanus Pontifex, Sanctissimus Dominus

Pius Papa IX.

Archi-Episcopus Strigoniensis Celsissimus ac Reverendissimus
Dominus Dominus

Ioannes Simor

Princeps, Primas Regni Hungariae, Sedis Apostolicae
Legatus Natus, Summus Cancellarius etc. SS. Theol.
Doctor.

Episcopus Veszprimiensis

Excellentissimus ac Rssmus D. **Ioannes Ranolder**, S.
C. et Apost. Maiest. act. int. Consiliarius, Suae Maiest. Re-
ginae Cancellarius, etc. etc. SS. Theologiae Doctor.

Episcopus Nitriensis

Illmus ac Rssmus D. **Augustinus Roskoványi**, de Ea-
dem, Solio Pontificio assistens, Praelatus domesticus Suae
Sanctitatis summi Pontificis, AA. Lib. et Phil. nec non SS.
Theol. Doctor.

Episcopus Quinqueecclesiensis

Illmus ac Rssmus D. **Sigismundis Kováts**, recenter
nominatus.

Episcopus Sabariensis

Vacat.

Episcopus Albaregalensis Illmus ac Rssimus D. **Vin-
centius Jekelfalusy**, de Eadem, S. C. R. et Apost. Maiest.
Consiliarius a AA. Lib. et Philosoph. Doctor.

Episcopus Iaurinensis

Illmus ac Rssims D. **Ioannes Zalka**, Praelatus domesticus Suae Sanctitatis Summi Pontificis, SS. Theologiae Doctor.

Guberniam Ordinis

Protector

Eminentissimus ac Rssimus D. **Aloysius Amat**, S. R. E. Cardinalis, Episcopus Praenestinus, Ord. Min. S. Francisci de Observantia et Reformatorum Protector.

Minister Generalis totius Ordinis

Reverendissimus P. **Raphael a Ponticulo**, SS. Theol. Lector, Bononiensis Provinciae Exminister. — Habitat Romae in Conventu Aracoelitano. — Electus an. 1862.

Procurator Generalis Reformatorum.

Rssimus P. **Bernardinus a Portu Romatino**, SS. Theologiae Lector, Concionator, Exminister Venetiarum Provinciae S. Antonii Patavini. Habitat Romae.

Gubernium Provinciae S. Mariae

Vicarius Provincialis

A. R. P. **Odoricus Balázsovits**, Philosophiae et SS. Theologiae Lector, ac Definitor Provinciae vice altera emeritus, habitat Posenii.

Emeriti Ministri Provinciales

A. R. P. **Agapius Dank**, Concion. Defin. et Custos Provinciae emeritus, Pater Provinciae, Tot. Ord. Defin. Gen. ad honores, Director Missionum per Hungariam, Ex-Commiss. Visitator Proac S. Steph. in Transylvania, actualis Guardianus Pestiensis, habitat ibidem.

A. R. P. Cyriacus Piry, Prof. Gymnasii, Definitor et Custos Provinciae emeritus, immediatus Ex-Minister Provincialis; Censor Librorum Dioecesanus, habitat Pestini.

Custos Provinciae

R. P. Chrysostomus Czwickl, Concion. Secretarius et Definitor Provinciae emer. Conf. Ordinarius St. Monialium Ursularum, actualis Provinciae Custos, habitat Posonii.

Definitores Provinciae.

A. V. P. Ezechiel Tóth, Concionator emeritus, Director Missionum Slavicarum, Guardianus Érsekújváriensis, habitat ibid.

A. V. P. Iustinus Bán, Concion. emeritus, Praesidens Residentiae Comaromiensis, habitat ibidem.

A. V. P. Ladislaus Balkó, Concion. emeritus, Guardianus Andocsiensis, Administrator Parochiae, habitat ibidem.

A. V. P. Henricus Will, Concion. et Secretarius Provin. emer. Administ. Paroch. Guard. Nemet-Ujváriensis, habitat ibidem.

Secretarius Provinciae et A. R. P. Vicarii Provincialis.

M. V. P. Casimirus Görög, Philosophiae et SS. Theologiae Lector emeritus, habitat Posonii.

I.

CONVENTUS POSONIENSIS

ad Beatam V. Mariam ab Angelo salutatam.

Belius scriptor in sua Hungariae novae Historia, huius Conventus originem ad tempora Belae 4. Regis refert; quem Ottocarus Bohemiae Rex, anno 1271. vastata Urbe Posoniensi desolavit. — Ladislaus dictus Cumanus, prostrato Ottocaro cum triumpho redux, hunc Conventum decennio ferme in ruderibus jacentem restaurare coepit, quin totum opus consummasset, anno siquidem 1290. violenta morte ad Körösszeg per Cumanos sublatus est. — Perfecit proin opus eius successor, quod comprobatur originale Documentum in Archivo Provinciae existens, tenoris sequentis:

NOS LODOMERIUS M. D. A-EPISCOPUS STRIGONIENSIS etc. — Damus Memoriae etc. quod Nos in vigilia Annunciationis, anni 1297. Ecclesiam PP. Franciscanorum Posoniensem jam plene consummatam etc. — praesentibus: Rmmis Paschasio Nitriensi, Paulo Quinque Ecclesiensi, Theodoro Iaurinensi Episcopis — item praesente Inclyto Domino Andrea III. D. G. Hungariae Rege, cum Proceribus ac Principibus suis — consecraverimus etc.

In hac Ecclesia Cultus Divinus pacifice peragebatur,

usque ingressum Lutheranorum, qui numero et opibus valentes, vix Urbem ingressi, diversa impedimenta ponebant. Quam ob causam Rudolphus Imp. defensionem Fratrum Proceribus commendavit, huius tenoris Rescripto :

RUDOLPHUS II. D. G. E. ROMANORUM IMP.
 etc. Rssmmo in Christo Patri. Dno Ioanni Kuthassy,
 A-Episcopo Strigoniensi — Rssmmo ac Egregiis Stephano
 Zuhay electo Eppo Agriensi, caeterisque Consiliariis Came-
 rae nostrae Hungaricae, simul vel divisim constitutis, salu-
 tem et gratiam. — Quoniam Nos, fideles nostros religiosos
 Fratres Ord. S. Francisci de Observantia, in Regno nostro
 Hungariae commorantes — — in Nostram Regiam recepimus
 protectionem et tutelam specialem — vice ac in Per-
 sona Nostra Regia, Eosdem Vestrae duximus committendos
 tuitioni. — Ideo Fidelitatibus Vestris harum serie firmiter
 committimus et mandamus; quatenus a modo deinceps,
 praefatos PP. Franciscanos tam in personis, quam universis
 rebus ac iuribus ipsorum contra quoslibet violentos ac il-
 legitimos impetitores, turbatores ac damnificatores; signan-
 ter: contra fideles Nostros, Prudentes ac Circumspectos
 Iudices ac Cives Civitatum Poseniensis et Soproniensis —
 — defendere teneamini; Authoritate Nostra Regia, Vobis
 hac in parte plenarie concessa et attributa.

Pragae die 12. Novembris 1600.

Non obstante hac per Caesareo-Regiam Maiestatem Fratrum nostrorum Proceribus commendata defensione, factum est; quod, cives Luthero addicti, ut divina Catholicorum turbarentur, ante Conventum per extensum erexerint diversas ipsi muro Conventus adplicitas lineas domunculas; idem fecerunt ad latus Ecclesiae; prout hoc patet e relatione DD. Commissariorum, per Maiestatem Ferdinandum

II. pro inquisitione peragenda exmissorum — inter reliqua — — „Unde non solum Fratribus ipsis, propter arendatorum diversos strepitus, cum omnes opifices sint; sed populo quoque Catholico, divinis Officiis navanti has domunculas magnae incommoditati existere — praesertim autem DD. Praelatis, Magnatibus et Nobilibus, ab eo latere collocatis Subselliis, conciones et Missam audientibus; postquam Hungarica concio ibidem haberi soleat: adeoquidem, ut ob praenarratos diversos et horrendos strepitus fabrorum serariorum, laminariorum, ahenariorum et similium — atque etiam foetores e combustione cornuum et his similium materiarum ortos, neque verbum Divinum audiendi sit pacifica commoditas, cum pleraque festa ab Ecclesia Catholica ordinata et celebrari solita, ab Opificibus istis more et licentia lutherana per Cives usurpari consveta, laboribus ac strepitibus, in contemptum contumeliamque Catholicorum profanari consveverint“ — — Datum Posonii 25. Augusti 1625.

Ioannes Thelegdy AEppus Colocens.
Stephanus Pálffy, Comes Posoniensis.

Mandato Caesareo renitentibus civibus, steterunt dictae domunculae aut rectius officinae pro vexa Catholicorum usque annum 1687, quo anno, orto incendio Fratres dictas domunculas diruerunt, et ne iterato aliae struantur, recurrunt ad Com. Georgium Széchény A-Episcop. Strigoniensem hoc tenore :

Eminentissime! etc.

Grande quod nobis semper imminebat periculum, cui vitando Augustae memoriae Imp. Ferdinandus II. certas

quasdam circa Monasterium nostrum ab haereticis, immunitatis ecclesiasticae inimicis de ligno fabricatas domunculas e toto dirui publico diplomate sanxit; voluntate piissimi Principis lutheranorum pravitate non impleta; 15. c. m. Martii, una nobiscum tota civitas Poseniensis sensit; dum flagrante quadam dictorum haereticorum domo, ignis ad illas ipsas nobis vicinas contigue erectas domunculas delatus, omnibus Urbis incolis periculo minabatur; nisi dictae domunculae celeriori Fratrum nostrorum manu funditus eversae fuissent: quarum loco cum mentionati Cives in immunitatis ecclesiasticae contemptum et ignominiam alias, et quidem muratas armata manu tumultuose erigere vellent, nostra protestatione, et V. Capituli Poseniensis interventione ad interim destitire. — Unde cum tuendis Ecclesiae iuribus Caes-Rgiae Maiestati supplex memoriale porrexerimus; super hoc Eminentiae Vestrae, cui maxime cordi esse scimus Ecclesiarum et Claustrorum immunitatem, imploramus auxilium, flagitantes: ut Suae Maiestatis cordi pie Inducere velit, dictorum Civium in Regii Mandati executione tanti temporis neglectum, et licentiosam novi operis in erigendo audaciam etc.

Eminentiae Vestrae

humiles Capellani

FF. Minores Posenienses.

Erga hunc recursum, Cardinalis pro favore Fratrum semet apud Maiestatem interposuit, venitque in nexu interpositionis sequens rescriptum:

NOS LEOPOLDUS D. G. IMP. ROMANORUM etc. Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregii Nobiles, Fideles Nobis dilecti. — Quam proni et faciles sint ad capienda arma, excitandosque tumultus et seditiones praesertim

augustanae confessionis Senatores Civesque Posenienses, abunde liquet vel e casu recenter evolutis diebus interventio, dum nimirum exorto inibi incendio, ac propterea dirutis disiectisque per religiosos PP. Franciscanos loci illius certis domunculis muro Monasterii adplicitis, igne concepto eidem Monasterio extremum discrimen minitantibus; ubi reaedificationi earumdem domuncularum iidem Patres ad praecavendum deinceps simile periculum, tutandaque iura sua in fundo illo habita se se opposuissent, contra eosdem Patres inermes, iidem Senatores ac Cives tumultuarie turmatimque armati insurgentes, nisi per Proceres inibi eotum praesentes dehortati fuissent, nescitur in quas extremitates prorumpere non dubitassent. Poenam contra similes seditiosos passim Legibus Regni expressam incurrere non formidantes etc. etc.

Datum Viennae, 20. Aprilis 1686.

Sed quia continuae per acatholicos fotae revolutiones cives Posenienses luthero addictos, adeo audaces fecere, ut nec Legibus Regni, nec expressis Regum mandatis morem gesserint; ut tandem pacifice lis inter Conventum et Civitatem complanetur, Ioannes Gubasóczy Ep. Nitriensis et Canc. Regni, eodem anno Civibus Poseniensibus 400 flor. solvit, in recompensam census, quem Civitas a supradictis, et tanto tempore controversis domunculis traxit. — Civitas perceptis taliter 400 flor. solenniter promisit, quod nullas amplius domunculas ad muros Conventus et Ecclesiae PP. Franciscanorum aedificatura sit; — sicque ab anno 1686. usque praesens tempus cultus Divinus pacifice peragitur, qui longo tempore inde a Rudolpho, usque postremos fere Leopoldi M. annos impediabatur.

Caeterum, quanto magis Ecclesia huius Conventus

lutheranis exosa fuit, tanto plus aestimata Catholicis et Summis terrae Principibus, qui a Maximiliano, anno 1563, usque Franciscum Iosephum gloriose regnantem, qui Budae coronatus est; omnes reliqui demto Ferdinando III. Sopronii et Francisco I. Budae coronato, Posonii in Ecclesia S. Martini regium Diadema sumserunt. — Peracta coronatione summa cum solennitate, corona et sceptro ornati ad Ecclesiam huius Conventus deducebantur, et in ea celso Throno iuxta Aram maiorem considentes, Equites Regni Auratos creare solebant.

Visitur in muro laterali Ecclesiae huius statua S. Ioannis Nepomuceni, quae olim stetit in loco, ubi nunc ara B. V. Dolorosae; huius statuae peculiaris mentio fit in actis canonisationis S. Ioannis Nepomuceni, cum cultus immemorialis eiusdem, reliqua inter argumenta ab hac statua comprobatus fuerit.

Illud etiam pro memoria perpetua tum Patres nostri adnotaverunt, tum etiam Mathias Belius in sua Historia testatur, quod dum Maximilianus in hac Urbe 1563. coronatus fuisset, servatis ea occasione comitiis, Episcoporum ac Procerum Tabula in AEpiscopali palatio. — Status vero et Ordines in hoc Conventu suas sessiones habuerint; manifesto argumento, domum sic dictam regnicolarem tunc adhuc non extitisse. — Quamvis et alias Patres Patriae in hoc Conventu consultationes habuisse, legantur; sic inter reliqua: 1710. die 25. Ianuarii, Christianus Augustus Dux Saxoniae, Regni Hungariae Primas, in Capella Lauretana Missam legit in praesentia plurimorum Procerum sub ipsis Regni Comitiis congregatorum, qua terminata ascenderunt ad conclave Guardianatum, ibique ab hora 11 usque 1. pomeridianam solennem habuerunt conferentiam.

Habuit hic Conventus olim non contemnendas fundationes; missis aliis, unam tantum magis ad Historiam pertinentem commemorare placet. Anno videlicet 1554 facta, per Ferdinandum I. confirmata, et per manus Nicolai Olahi A. E. Strigoniensis signata est pro favore Conventus Poseniensis fundatio pro Sacris perpetuis, Ladislai Com. de Bazin et S. Georgio, consistens in 26 urnis vini e promontorio Baziniensi pendendis etc. — Praelaudati Fundatoris cognomen in Litteris foundationalibus non legitur; — fuisse eum de familia Szeredy inde concluditur, quod sub eodem Ferdinando legantur sequentia: nonnulli slavorum expugntaa per Turcas Kosztanica e Croatia et Slavonia fugientium etiam in Comitatu Poseniensi refugium repperunt, maxime apud Gasparum Szeredy, comitem de Bazin et S. Georgio, a quo accepta per 12. annos immunitate excisis superfluis sylvis tractum terrae submontanum Posenio usque Tyrnaviam a cultura vinearum et agrorum celebrem reddiderunt. Hic Gasparus requiescit in Ecclesia parochiali nunc regiae civitatis S. Georgii, ubi ejus magnificum e marmore structum monumentum cernitur.

Quamvis Conventus Poseniensis, omnium Provinciae S. Mariae Conventuum antiquissimus, et una felicissimus existat, qui Divina Providentia favente, usque praesentem diem nec igne crematus, nec hostili manu praedatus fuit — non fuit tamen omnium fatorum expers; — primum fatum fuit pestis anno 1502 in hac Civitate saeviens adeo, quod 16. hominum millia, cum multis Fratibus nostris perierint; — ad avertendam in futurum tam atrocem pestem, civitas Poseniensis in honorem SS. Sebastiani et Rochi pulchram capellam struxit inter Conventum et Ecclesiam eius, quae dietim a piis fidelibus visitatur.

Secundum fatum fuit terrae motus anno 1590. qui magnam Hungariae et Illyrici partem, sed praecipue Viennam, Posonium, Tyrnaviam, totamque intermediam vicinam plagam, miscrandum in modum, teste Istvánfio L. 26. pag. 563. — 41. vicibus repetitis, ac cum primis 5. septembris concusserat. — Aedificium Conventus priores succussiones absque notabili damno sustinuit; at die 5. septembris corruit navis Ecclesiae, olim cum sanctuario gothice structa, corruit et magna pars Conventus, tria solum puncta, puta: turris, sanctuarium et capella S. Ioannis Evang. illaesa manserunt. — Ob frequentem terrae motum, in navi Ecclesiae loco fornicis trabes compactibiles adhibitae sunt, donec tandem 1616. sub guardianatu P. Ioannis Rudnay remotis trabibus, fornix ad modernum stilum structus fuisset.

Constat Historicis, anno 1683. Turcas cum Tökölianis ad Viennam fusos, fugatosque fuisse; sed quis fuerit per dictos hostes causatus peripheriae Posoniensis status, e sequenti PP. nostrorum in Definitorio congregatorum dispositione intelligitur :

Ineffabilem ac plane inexplicabilem Almae huius Provinciae nostrae Marianae, ob Inclyti et Apostolici Regni Hungariae deplorandas vicissitudines; ob cruentam similiter depraedatricem tyrannicam rebellionem; Turcarum barbaricam rabiem, ferro ac igne omnia devastantem malignitatem; miseriam et tribulationem! — Conventus Posoniensis, qui alias numerosos Fratres, Sacerdotes, et civilis conditionis Viros securitatis gratia huc confugientes, virtualibus et aliis beneficiis providerat; nunc ob totam qua patet regionem in solitudinem redactam, nec suis individuis consulere potest. — Eapropter Ven. Definitorium disposuit,

ut alii Conventus, quos Divina Bonitas ab hostilibus plagis immunes servavit, Conventui Poseniensi succurrant; et quidem: Nemet-Ujváriensis 150 flor. Iaurinensis 50 — Comaromiensis 150 — S. Antonii 50. — Nitriensis 150. — Pruskensis 150. — S. Catharinae 100. — Malackensis 50. — Kis-Mártoniensis 50. — Soproniensis 100 flor. — Reliquis Conventibus ruinatis, evacuatis, et ideo nec memoratis.

Hic Conventus per Iosephum 2. confirmatus fuit cum N. 18. Presbyteris et 2. laicis; sublata eodem an. 1789. mendicatione, e resolutis in vicem mendicationis 807 flor. providendis; notum supponitur Lectori Benevolo, Provinciam Marianam, assumta strictiori observantia, nec fundationem pecuniariam gratuitam, minus tenuta quaecunque habere posse; ergo 20. Individua, multo paucioribus tunc adhuc existentibus parochiis, pro iuvamine domi forisque summe necessaria ex 807. flor. erant providenda; — accessit et alia calamitas; siquidem abolitorum claustrorum sacra fundata, inter non abolita claustra, gratis celebranda, distributa sunt; e quibus Conventui Poseniensi obtigerunt 6240. sacra semel pro semper; item 121. in perpetuum singulis annis celebranda. — His benignis ordinationibus, Conventus Poseniensis ad extremam incdiam redactus, incessanter ad Excelsum Consilium pro subsidio recurrebat, sed incassum; qui nunquam esurivit, famis ideam habere, et esurienti compati non potest. — Quidquid proin auri et argenti, Ecclesia inde a stirpe Arpadia, a Praesulibus, Proceribus et Civibus valentioribus acceperat, pro emendo pane vendi debuit — Illis autem absumentis, nulla spe salutis amplius occurrente, dum Fratres prae fame Conventum deserere pararent. — Franciscus 2. Hung. Rex, restituta an.

1805 mendicatione, tantisper sublevavit desperati huius Conventus sortem. — Cumque Ecclesia Conventus ob memoratam inedia[m] squallore obducta fuisset, pro reparatione et conservatione eius Alexander Rudnay Card. Archi-Ep. occasione Canonicae visitationis an. 1823. usum nolulae introduxit, prout etiam pecuniam pro oleo, candelis, vestibus sacris etc. bis per annum in Civitate colligendi.

Quoniam vero Fratres decursu tot annorum vix vivere, minus necessarias in fabrica Ecclesiae et Conventus reparationes praesuscipere poterant, aedificio sed praecipue tectis ruinam minantibus; agente ut plurimum immortalis memoriae Cardinale Ioanne Scytovszky, gloriose regnans Franciscus Iosephus e fundo relig. 17189. flor. clementer resolvit a 1859. — Pro qua summa conventus cum Ecclesia novum tectum accepit. — Hac occasione additus est aedificio versus plateam tractus superior sumtibus Provinciae. Regit hunc Conventum: P. **Callistus Orgony**, conc. em. h. t. Guardianus.

II.

CONVENTUS TYRNAVIENSIS

ad S. Iacobum Maiorem Apostolum.

Conventus Tyrnaviensis in Comitatu Poseniensi, A-Dioecesi Strigoniensi, perhibentibus antiquis documentis aedificatus fuit ab ipsis Civibus Tyrnaviensibus anno 1238. regnante Bela 4. — Antiquitatem huius Conventus confirmat privilegium Alberti I. Austriae Ducis, de anno 1277. cuius tenore immunitas expressa fuit, cum mentione Conventus Poseniensis et Tyrnaviensis; ad devehenda pro PP. Franciscanis dictorum Conventuum editionibus Austriae quaecunque, sine omni telonio. — Porro asseritur; primum illum Conventum extitisse ad ecclesiam moderni Xenodochii iuxta murum Civitatis ad portam inferiorem. — Multiplicatis dein Fratribus, cum Conventus hic et Ecclesia parva, pro confluentis populi multitudine excipienda insufficientes esset, — Ludovicus I. desolatam quamdam Abbatiam instauravit, et PP. Franciscanis contulit anno 1363.

Perstiterunt in hoc Conventu Deo iugiter famulantes Fratres nostri usque annum 1605. h. e. usque revolutionem

Stephani Bocskay Transylvaniae Principis, qui dum Tyrnaviam usque pervenisset, eius clientes calvinistae Conventum et Ecclesiam occuparunt. — Favit Deo sic volente annus 1607; quo Franciscus Com. Forgacs e Sede Nitriensi, ad Sedem A-Episcopi Strigoniensis promotus, ipso die Coenae Domini, finita in summo templo sacrorum liquorum consecratione, cum commissariis Rudolphi Caesaris, puta: Petro de Réva, Martino Czobor, Christophoro Turzo, Conventum ingressus, eum, eiecto ministro calvino Martino Hollösy, Fratribus nostris restituit.

Interim hic restitutus Conventus, sensim adeo labefactatus est, ut in pluribus partibus ruinae periculo minaretur. — Quod videns immortalis memoriae Cardinalis et A. E. Petrus Pázmány totum hunc Conventum demoliri, et novum a fundamentis sua munificentia strui fecit, anno 1633.

Novus hic Pázmáneus Conventus, primum fatum subivit anno 1664, quo Turcae cum Tartaris et haereticis, Patriam depopulati, ferro et igne exterminantes omnia, Conventum quoque hunc una cum Urbe in festo S. Iacobi Apostoli, in cineres et rudus redegerunt. — At longe maiorem stragem hic Conventus subivit, anno 1683. nam Kara-Mustapha, Mahumetis 4. Turcarum sultani vezirio, cum enormi exercitu Viennam versus properante; Emericus Tokoly factiosorum dux, eo ipso tempore has cis — Danubianas partes incursat; spoliat et incendit, — cumque potissimum calvinistas in suo exercitu haberet, nullo barbaro maiorem Urbs Tyrnaviensis experta fuit. — Nam calvinistae Turcas et Tartaros barbarie superantes, Urbem omni e parte succendisse non contenti, ne quis civium vitam

salvare posset, ad portas Civitatis enormem ignem excitarunt, et sic plus quam 8000. hominum igne periverunt. — Valido hoc incendio quiquid in Conventu nostro flamma tangere potuit, totaliter consumsit; ruente fornice sanctuarii, Ara maior singularis artificii, sumtibus fere prodigis per Cardinalem Petrum Pázmány curata, cum vicinis duabus aris combusta fuit; — sed irreparabili detrimento, flammis perivit pretiosa Bibliotheca per praelaudatum Cardinalem Conventui donata, cum archivo conventus et omnibus Instrumentis litterariis, antiqua tempora, regum Arpadi et Mixtae Stirpis, concernentibus, — et haec est causa, quod de hoc Conventu licet antiquissimo parum asseri et probari possit; cum praeter laconica quaedam manuscripta olim Posonium transmissa, nullum solidum documentum hic Conventus in archivo Provinciae habeat. — Eiectis Patria Turcis, et humiliatis per ducem Carapha calvinistis; institerunt quidem Fratres restorationi Claustri et Ecclesiae per barbaros in rudus conversae; verum Benefactoribus coesis aut spoliatis; nonnisi anno 1712. totaliter consummari poterat. — Et quia Conventus hic licet unus e maioribus, maiori Fratrum pro servitiis spiritualibus domi forisque praestandis numero insufficiens fuit, anno 1749. novus ad plateam tractus additus est.

Dantur in Ecclesia huius Conventus duae statuae a temporibus Tökölyianis celebres; utpote: statua B. V. Mariae, quae tempore incendii in medio flammaram illaesa perstitit, et ab illo tempore populus fidelis erga eam peculiarem confidentiam habet; — item maior statua Crucifixi quae eodem pariter tempore in domo Illust. D. Com. Nicolai Eszterházy Canonici Strig. in certo conclavi, omni residua supellectile incinerata, illaesa inventa est; ac e man-

dato eiusdem D. Com. et Canonici, ad hunc Conventum pro maiori veneratione delata existit.

De hoc porro Conventu ex antiquitatis Historia notari meretur, quod primus omnium, repudiatis laxitatibus et dispensationibus, regularem Observantiam labefactantibus; dimissa omnium mobilium et immobilium proprietate, anno 1610. strictiorem Observantiam susceperit.

Reticeri non potest singularis casus, qui Tyrnaviae contigit, anno 1539, quo contra Iudaeos, ob patratam Christiani pueri caedem pro inquisitione et iudicio peragendo iussu Ferdinandi I. missus erat Alexius Turzó, Locumtenens Regius; — causam superstitiosam patratae caedis, fassione seniorum Iudaeorum cognitam, per extensum adnotatam retulit Bonfinius. — Criminis rei Iudicio Palatinali damnati, et in foro publico igne cremati extiterunt; reliqui mandato regio Urbe eliminati. — Et pro transmittenda ad seros posteros huius executionis memoria, porta Civitatis per quam expellebantur, ab eodem tempore iudaica nominata, continuo obmurata, et figura pueri e lapide sculpti signata fuit. — Tandem an. 1800, ad vota Civium e gravibus causis reserata.

Annus 1820, et Civitati et Conventui lugubris fuit. — Nam Vencr. Metrop. Capitulum Strigoniense, cuius munificentiam, Civitas, Conventus noster, cum misera Iuventute scholastica numero saepius experta fuit, quodque ab an. 1545. Tyrnaviae residendo multorum prosperitati con-
sulebat; — conformiter voluntati Archi-Praesulis Principis Alexandri a Rudna, die 1. Iulii Strigonium remeavit — — Anno 1823 idem Archi-Praesul obtento altissimo indultu, Tyrnaviae 6. Canonicorum Capitulum Collegiatum erigere decrevit; — cuius Praepositus una Urbis parochus

esset, per Magistratum Urbis eligendus; — interim hic devotissimus A-Praesul 1831. morbo cholerae e vivis sublatuS, ulteriorem gloriam suo successori Celsis. Principi D. Iosepho Kopácsy cedere debuit, qui gloriose regnante Ferdinando V. an. 1844. Collegiatum Capitulum Tyrnaviense solenniter installavit.

Praeter pestem, quae alternis vicibus, utpote an. 1709. et 1739. cum requisitione millenarum victimarum Urbem hanc visitaverat; non potest silentio praetermitti, an. 1831. quo cholera (morbus prius inexpertus) ex oriente in Europam veniens, per totam fere Hungariam; sed praeferenter Tyrnaviae tam crudeliter saeviit; quod secundum iustam calculi deductionem, sextam partem Civium rapuerit.

A tempore cholerae alma pace fruebatur Civitas usque 1848. quo anno funestissima revolutio orta fuerat; — circa dimidium mensis Decembris, concussa est haec Civitas timore horribili; — nam Görgey Hungarorum supremus bellidux, secundum regulas artis militaris, instructam aciem extendit a Sopronio usque Nádas supra Tyrnaviam. — Ordódyum constituit, ad impediendum Caesareis transitum per angustum passum montium Nádasiensium. — Verum hic Caesareorum numero impar resistendo, cum credita sibi cohorte, Szeredinum se retraxit; — quo facto Simunich Caesareus dux, occupato passu directe contra Tyrnaviam processit; ubi Guyon, Pusztelnik, et Makk hungaros duces 16. Dec. circa horam 5. pomeridianam, in ipsa Civitate omni genere armorum adgressus est. — Fluxit sanguis per plateas Civitatis, 800. hungaris caesis, reliqui arrepta qua poterant fuga semet salvarunt; pluribus in locis ignivomis pylis incendio producto, sed post pugnam feliciter extincto. — — Caeterum de Civitate Tyrnaviensi, quae olim ab

Hungaris pro parva Roma habebatur, procul adulatione dixerim; adeo eam esse a humanitate, cultura, religione et bonis moribus celebrem, ut ei regnotenus paucas assimilare liceat. — Funguntur hic loci Fratres nostri domi et exterius, lingvis: slavica, hungarica, et germanica; quibus praest: M. V. P. Erasmus Rakovszky, conc. emer. h. t. Guardianus.

III.

CONVENTUS

ALBA - REGALENSIS

ad S. Emericum Ducem.

Alba-Regia tempore primorum Hungariae regum, celeberrimis regni praesidiis adnumerabatur, tum propter fortitudinem; tum propter coronationem, inhabitationem et sepulturam: quibus eam primi Reges honorarunt.

Primus Rex Apostolicus S. Stephanus; dum Legatum suum Romam misisset, pro impetranda confirmatione Archiepiscopatus Strigoniensis, et reliquorum a se fundatorum Episcopatum, accepta a Silvestro 2. Pontifice corona, cum titulo Regis Apostolici ad omnes coronatos Hungariae Reges transeunte; prius coronari noluit, quam magnificam Basilicam Albae-Regiae in honorem assumptionis B. V. Mariae aedificasset, in qua ad omnem splendorem evecta, per Dominicum A-Eppum Strigoniensem, anno Christi 1000. coronatus fuit; in ea passim coronati sunt omnes successores eius, usque Ferdinandum I. inclusive; — aedificavit idem S. Rex ad ipsam Basilicam, regum sepulchra, regiae dignitati convenientia; in quibus primus sepultus fuit S. Emericus Dux anno 1031. S. Stephanus 1038. et dein complures successores ejus.

Inhabitabatur proin hoc praesidium a Rege et Proceribus, uno Praeposito et Capitulo. — In hoc insuper praesidio, anno 1280 et sequentibus, a Ladislao 4. dicto Cumanus, aedificatum fuisse Conventum pro Ordine et Provincia nostra dubio caret. — Extitisse attamen iam ante Ladislaum 4. in hac civitate, licet fors alio in loco, humilem quemdam pro conditione fratrum, Conventum; indubie eodem cum Strigoniensi tempore aedificatum, inde conficitur; quod in adducto omnium Provinciarum et custodiarum, totius Ordinis anno 1260, a Divo Bonaventura Ordinis Generali Ministro in Capitulo Narbonensi, catalogo; inter 8. Custodias hujus Provinciae nostrae Hungariae, una Alba-Regalensis memoretur; — ergo Conventus Albensis caput Custodiae, cui plures Conventus subordinati fuere, iam anno 1260 extiterat. — Cui Ladislaus 4. majorem cum magnifica Ecclesia substituit.

Anno 1543. dum Solimanus Budam iam ante biennium suae plenae tyrannidi subiecisset, hanc etiam Urbem sub iugum misit. — Capta Urbe, et hic Conventus fugatis aut caesis Fratribus, barbaro in praedam cessit, una cum Basilica B. V. Mariae, decore, pretiositate, et singulari artificio plurimas Orbis Basilicas excedente; expilata sunt Mausolea regum, cum Coenobiis Religiosorum ac Monialium; ipsis tamen aedificiis barbarus hac vice pepercit, ac quamquam in profanum usum ea converterit, demoliri tamen non sinebat. — Anno 1601. a duce Mercuriano Turcis erepta, sed mox iterum subiugata fuit civitas; reversi Turcae amplius aedificiis non pepercunt; verum cunctos Ecclesiarum et Monasteriorum muros ope pulveris pyrii diruerunt, lapidibus murorum ad reficienda Urbis

moenia adhibitis; integram tamen omiserunt Ecclesiam Praeposituralem cum sacello Custodiae Albensis.

Possedit Turca hanc Urbem 145. annis, et funditus evertit adeo; ut recepta Urbe intrantes Christiani nesciverint, ubi et quale aedificium olim fuerit; intrantibus Christianis, mox intrarunt et Fratres nostri, quibus dum pro aliquo loco habitationis institissent; assignatum fuit aedificium praepositurae, quod ultra duos annos inhabitarunt, ignorantes domum illam ad praeposituram pertinere; dum autem re magis comperta et elucidata, Rssmus D. Barnabas praepositus advenisset, et praememoratam domum, ad sua utique pertinentem recepisset; — loco huius per Perillustrem D. Laurentium Vánosy, tunc temporis plenipotentiarium et provisorem regium; assignatum est Fratribus aedificium antiquae Ecclesiae nostrae, per Turcas in armamentarium conversae, ac iuxta illud 3. aliae domus; ruinato videlicet per Turcas Conventu, a privatis civibus, emto indubie a Turcis fundo aedificatae ac possessae, quarum pretio civibus exoluto, Fratres nostri in possessionem dictorum fundorum, per provisorem regium pro aedificando Conventu emtorum, iussu Suae Maiestatis introducti sunt; per Rssum D. Thomam Homolay Canon. Veszprim. et Egregium D. Franciscum Ujváry commissarium regium, quam donationem eodem anno Sua Maiestas, sequenti diplomate confirmavit.

NOS LEOPOLDUS D. G. ELECTUS ROM. IMP, HUNGAR. etc. REX. etc. etc. — Damus memoriae quibus expedit. etc. —

Quod cum Nos ad nonnullorum Fidelium Nostrorum humillimam supplicationem Maiestati Nostrae factam — tum vero moti pietate et clementia Nostra Regia, qua erga re-

ligiosos FF. Ord. S. Francisci Seraphici, Provinciae S. Mariae, in regno nostro Hungariae habitantes (quorum suffragiis piisque precibus, in prosperitate armorum nostrorum, et victoriis contra hostes nostros juvari nos credimus) ducimur. — Sed etiam ex eo, quod idem Sacer Ordo Seraphicus, antiquis etiam temporibus e Divorum quondam Hungariae Regum fundatione, Albae-Regiae Conventum et Ecclesiam se habuisse, coram Maiestate Nostra privilegialibus Literis comprobasset; certam Ecclesiam et locum pro aedificando monasterio, eidem Ordini, in praementionata Urbe Albensi situatum; per prius iam e Benigno Annutu Nostrum pro Residentia designatum cedimus; omneque Ius Nostrum Regium, si quod in praefata Ecclesia et fundo haberemus; — memoratis religiosi Ordinis S. Francisci, Provinciae S. Mariae damus, donamus; et conferimus jure perpetuo et irrevocabiliter possidendum etc. — Datum Viennae die 7. Augusti, anno 1690.

Habito fundo admotae sunt manus aedificationi, cui protestati sunt PP. Paulini Quinque-Ecclesienses, allegantes dictum fundum ad se pertinere e donatione Ludovici II. Regis. — Favore litis pro nostris cadente: — anno 1720. die 1. septemb. P. Capistranus Szebach actualis Provincialis primum lapidem posuit, — praesentibus: Illmo D. Com. Francisco Eszterházy supremo, ac Spectab. D. Ioanne Meszlény Vice-Comite; — praesente magistratu Civico, nec non Reverendis Patribus Leopoldo Loosy, et Ioanne Szendrey e soc. Iesu, pro tunc huius Civitatis plebanis.

Conventus Albensis, in medio Civitatis interioris, olim praesidii situatus, ab omnibus in circum aedibus sciunctus; non adeo vastum spatium occupat, suam intra cinctu-

ram exiguam aream habet, nec ullum aedificio suo adnexum hortulum. — Structis in duplici serie cellis, ambitus quidem tenebricosos; at cellas licet parvas, sat tamen lucidas habet, estque plurium individuorum capiendorum sufficiens. — Imo per Iosephum II. an. 1788. cum 21. presbyteris et duobus laicis confirmatus plura individua pro spiritualibus serviitiis domi forisque obeundis, cum alumnis Theologis numerat et providet.

Conventus hic a tempore immemoriali providebat capellam custodiatu Albensis ad S. Annam, in legendis Missis, pure diebus feriatis, dum sufficientes Presbyteros domi habuisset. — Verum an. 1793. die 1. Iulii, Illmus D. Sigismundus Horváth de Sz. György, qua actualis censualista bonorum custodiatu olim Albensis, praeter conservationem sartorum tectorum, totam curam dictae capellae Conventui per litteras suas contulit, erga 20 metr. frumenti et 57. flor. conv. mon.

Anno demum 1807. die 10. Iulii, Franciscus I. hunc custodiatu Ordini Scholarum Piarum, in meliorem sustentationem docentium individuorum contulit. — Qui Ordo aequae tantum solvebat Conventui, donec ei de ordinario administratore e gremio sui prospicere placuisset.

Porro hic Conventus, cum ipsa Civitate regia, et toto Comitatu Alba-Regalensi, ad dioecesim Weszprimiensem pertinebat; — at erecto per Mariam Theresiam an. 1777. in hac Civitate Albensi novo Episcopatu, nunc eiusdem loci Episcopi iurisdictioni subest. — Primus huius Urbis Eppus fuit: Illmus ac Rmus D. Ignatius Nagy, qui in Ecclesia Conv. omnes conciones, sacra cantata, et lytanias cum organo sustulit, disponendo: ut duo concionatores hungarici Conv. Albensis in ecclesia cathedrali; germanorum

unus in ecclesia Iesuitarum (nunc Cistercitarum) alter in ecclesia suburbana, pro concione dicerent. — Sicque in omnibus ecclesiis Franciscani concionabantur, demta sua.

Mortuo primo ep. Ignatio Nagy, successit Illmus ac Rmus D. Nicolaus Milasschin ex Ordine S. Francisci ad episcopatum assumptus, qui sacra cantata cum lytaniis ad ecclesiam reduxit Conventualem, sed conciones non. — Tandem an. 1818. Illmus D. Iosephus Vurum episcopus Albensis cum e fenestra suae residentiae videret, diebus Dominicis et Festis magnam copiam populi ex ecclesia Conventuali prodeuntis, quin verbum Dei audivisset; — zelo pastoralis ductus, duos ordinarios concionatores, pro summo fidelis populi solatio, ad ecclesiam Conventus nostri reduxit. — Donec tandem an. 1840. etiam in ecclesia Cathedrali, dioecesani Presbyteri pro concionibus dicendis constituti fuissent.

Anno 1809. aedificiis maioribus, uti: abolito claustro PP. Iesuitarum, cum Seminario cleri iunioris in nosocomia sauciatorum militum conversis; Conventus noster pietate Civium, impugnatoribus strenue resistentium in suo esse conservatus est; haud tamen omni onere immunis perstitit, cum ambitus tam superiores quam inferiores, diversis frumenti specibus ad usum militiae congestis repleti fuerint. — Insuper Schola Rhetorica pone ianuam communem conventus, quae non sine notabili huius incommodo, usque ad an. 1812. ibidem perduraverat. — Nosocomia demum in interiori non minus ac exteriori Civitate constituta; diurnae ac nocturnae spirituali patrum huiusce Conventus curae ac provisioni commissa fuere.

Anno 1831, cholera orientalis, huius civitatis partem humidiores lacui Sós-tó viciniorem, adeo afflixit, quod in

nonnullis plateis vix unius aut alterius domus incolae superstites remanserint. — Postremae revolutionis Civitas Albensis etiam recordatur; signanter an. 1849, in sequelam exigui in eius terreno facti conflictus, aliquot innocentes victimas sacrificare debuit. — Ab illo attamen tempore, signanter ex quo stratum ferreum accepit; amplitudine, domorum eleganti structura, et platearum munditie primas Hungariae Urbes aemulatur. — Caeterum Conventui h. t. praeest: **M. V. P. Anicetus Varga**, conc. em. et Guardianus.

IV.

CONVENTUS STRIGONIENSIS

ad Sanctam Annam.

Ordo S. Francisci communi Historicorum consensu, et antiquitatum ordinis testimonio, Hungariam intravit sub Andrea II. dicto Hierosolymitano, circa annum 1224. — Nam hoc anno F. Albertus de Pisa, a Leopoldo Duce in Austriam invitatus, illuc cum Fratribus advenerat; — mox quosdam in Hungariam misit, ab Andrea Rege et Proceribus regni humaniter exceptos; quorum favore Fratres nostri, in pluribus Hungariae locis domicilia sibi aedificaverunt, quorum omnino primum fuit Strigonii, utpote: in Metropoli Sacrorum Hungariae; erecti Conventus constituerunt Provinciam, quae primitus vocabatur: Provincia Strigoniensis. — Hoc comprobant Litterae Summorum Pontificum; sic Bulla Gregorii IX. 16. Aug. 1234. quae incipit: Quia ubi maior. etc. etc. inscripta: Ministro Ordinis Minorum in Hungaria. — Et alia eiusdem Pontificis de anno 1235. cuius initium: cum Venerabilis Frater. etc. — inscripta: Ministro FF. Minorum Strigoniensis Provinciae. etc. — Ex his concluditur: Conventum Strigoniensem primum omnium fuisse in hoc Apostolico Regno, et e Strigoniensi Conventu propagatam Provinciam, dictam fuisse Strigoniensem.

Primum hoc Ordinis nostri monasterium, in quo S. Elisabeth Andreae II. filia, Tertio Ordini S. Francisci inscripta extitit; per Tartaros 1242. excisum et solo aequatum fuit; nam Tartari citeriore Hungaria iam in solitudinem redacta, anno praeattacto glacie constrictum Danubium transeuntes; prima impressione Urbe Regia potiti, innumerabilem civium et advenarum multitudinem, miserabilem in modum igne et ferro deleverunt. — Caesis per Tartaros Fratribus, Conventu combusto et ruinato, perivit nascentis Provinciae archivum, et haec est causa, quod primordia Ordinis nostri in Hungaria, ex exteris fontibus haurire cogamur.

Recedentibus Tartaris Béla IV. rex, e Dalmatia redux Conventum cum ecclesia B. V. Mariae, quam suam Auxiliatricem vocabat, instauravit, et solenniter inductis Fratribus tradidit; in ecclesia huius Conventus Béla IV. cum sua uxore Maria Alexii Graecorum Imp. filia, et filio cognomine, in loco honorifico iuxta aram B. V. Mariae tumulum invenit, sequenti epitaphio ornatum:

Aspice rem charam, tres cingunt Virginis aram,
Rex, Dux, Regina, quibus adsint gaudia trina.

Insuper ex Ordine duo Fratres sanctitate vitae conspicui; utpote: F. Gallus SS. Theol. Lector devotissimus, mira gaudebat gratia curandi. — Item F. Aegidius patria Strigoniensis cocus, qui nunquam carnes comedit, nec unquam vinum bibit, ob nimiam pietatem extra se raptum et a terra levatum domestici et exteri pluries viderunt.

Anno 1543. Turca expugnata Urbe et arce Strigoniensi, cunctas ecclesias et monasteria in Urbe regia existentia, ne caesareo exercitui commodum arcem obsidendi

praeberent locum, diruit; lapidibus pro solidiori arcis et praesidii structura adplicitis.

Anno 1683. Turcis ad Viennam caesis, Strigonio mox recuperato, Serenissimus D. Carolus Lotharingiae dux, nostrae Provinciae numero 6. Fratribus, cum militia Caes. Reg. descendantibus, et in qualitate campestrium capellanorum servientibus, locum pro erigendo domicilio in Civitate aquatica contulit, et de pane ex annonaria regia prospexit; sicque favore praelaudati belliducis, opere tumultuario, manu potissimum militari structus est Conventus S. Crucis dictus.

Interim Patres Provinciae nostrae prius quam provocati per Cives fuissent, desiderio ad antiquum Conventum per Belam IV. aedificatum redeundi ardentis; eiectionis Turcis mox semet gratis et protectioni A. Episcopi Strigoniensis commendarunt, et sequens rescriptum impetrarunt:

Reverende ac Religiose P. Provincialis! Det Deus omnipotens, ut haec Metropolitana Sedes, faucibus barbarorum erepta, Regi suo, A-Praesulibus, ac toti Christianitati ad consummationem saeculi servetur. — Interim cum sacer Ordo quoque suum ibidem a Béla IV. rege structum ac fundatum Conventum occupare et incolere volens, nostra eatenus autoritate A. Eppali confirmari desideret; Nos, qui semper servus et filius S. Francisci Seraphici fuimus, Autoritate Nostra, qua pleno jure fungimur, confirmamus et paterne roboramus; — non omissuri S. Ordinis Instantiam Suae Maiestati C. R. quo meliori modo recommendare, in reliquo etc. Datum in arce nostra Letovich die 26. Novemb. 1683.

Georgius Szelepcsény, A. Episcopus.

His actis, in dies magis erigebatur moderna Civitas Regia Strigoniensis, quae saepissime Fratres nostros orabat : quatenus ad neo-resuscitandam Urbem venire, et in ea domicilium capere vellent, cum animae plurimae fuissent noctu neglectae, Plebano unico, in aquatica Civitate degente, et noctu clausis per militiam portis exire non valente, — asserti veritatem sequens documentum comprobat :

Nos Ioannes Takáts, iudex primarius, caeterique iurati Senatores L. R. Civitatis Strigoniensis. — Memoriae commendamus praesentium vigore quibus expedit universis. — Quod nos cum templo Dei et animarum pastore, — — a primordio nostrae inhabitationis praelibatae L. R. Civitatis Strigoniensis destituti fuissetus. — Et ex eo saepe saepius simul unaque constituti, in Deum et animarum salutem votivae pietatis zelo moti, sponte et libere in emolumentum sacrae Romanae Orthodoxae fidei, PP. Ordinis S. Francisci Seraphici, Provinciae S. Mariae, pro aedificandis templo et claustro, mutuo inter nos habito tractatu et consensu, certum desertum fundum civilem, spatii videlicet: in latitudine orgiarum 36. in longitudine vero 57. dederimus et irrevocabiliter cesserimus. — Ea cum unica requisitione, quatenus praefatae Urbis Senatores, tempore moderno viventes, in ipso templi loco, unam scorsivam, suis sumtibus aedificandam, cryptam, pro se et haeredibus suis habere possint. — Datum Strigonii, die 6. Martii 1697.

Hanc cessionem fundi pro aedificando Conventu confirmavit Maiestas, sequentibus :

NOS LEOPOLDUS, D. G. ELECTUS ROM. IMP. Germaniae, Hungariae Rex etc. — Memoriae commendamus etc. — Quod pro parte Religiosorum Patrum Ord. S. Francisci, Provinciae S. Mariae exhibitae sint nobis —

— Fidelium nostrorum: — Ioannis Takáts Iudicis primarii et Senatorum L. ac R. Urbis nostrae Strigoniensis, Donationales Literae, — quibus mediantibus Iudex et Senatus orat Maiestatem nostram, ut cessionem fundi praementionati Fratribus Ordinis S. Francisci factam, auctoritate nostra Regia confirmaremus. — — — Nos itaque. — — — Cessionales Literas Civitatis nostrae Strigoniensis, veras et omni suspicione carentes — — confirmamus. — Datum per manus fidelis nostri, Ladislai Mattyasovszky Eppi Nitriensis, aulae Nostrae Cancellarii, in Castro nostro Ebersdorf, die 17. mensis septembris 1700.

Quia vero ut supra dictum est, Fratres nostri expulsis Turcis mox patrocinium quaesiverunt apud A. E. Strigon recuperandi antiqui Conventus gratia, accepta spe a Georgio Szelepcsény, — ab eius successore etiam suppetias acceperunt, tenore sequenti:

NOS GEORGIUS SZECHÉNY, M. D. A. Episcopus Strigoniensis. — Memoriae commendamus. — Quod nos pietatem, zelum, et utiles in Ecclesia Dei, et regno isto Hungariae, Fratrum Ord. S. Francisci Provinciae S. Mariae labores considerantes; posteaquam singulari Divina Misericordia, Sedes A. Episcopalis, Sacratissimae Maiestatis Leopoldi armis, Christianitati restituta haberetur; ut Ordo S. Francisci sicut olim in Civitate Strigoniensi fructuose in vinea Domini laborare possit — Statuimus ibidem monasterium praementionatae Provinciae S. Mariae fundare, quod olim pro eadem Provincia a Bela IV. rege Hungariae fundatum erat — in cuius aedificium ac foundationem — sponte ac libere 20,000 flor. Rhenensium damus, donamus, assignamus. — — Datum Posonii, in Curia Nostra Archiepiscopali, die 9. Februarii anno 1690.

Habito fundo, sumtibus, et Caes-Regia confirmatione anno 1700. Conventus modernus cum ecclesia aedificari coepit, quamvis admodum lente; nam boni Cives tunc quasi e pulveresurgentes, admodum pauperes, juvare non poterant; sed nec operarii acquisibiles fuerant: nam omnia Oppida et Urbes per Turcas ruinatae, novitus strui debebant.

Ecclesia cum aliquot cubiculis parata, anno 1717. die 13. Iunii, inducti sunt Fratres nostri e Conventu S. Crucis processionaliter ad Conventum S. Annae, simili ac sub Bela IV. solennitate, — plurimum ad continuandam et concludendam Ecclesiae et Conventus structuram contulit Excell. D. Com. Franciscus Xaverius a Kuklender, Generalis, commendans arcis Strigoniensis, qui praeter alia, aram maiorem, organum, et aram lateralem S. Francisci Xaverii struxit, et infra hanc voto suo conformiter anno 1719. honorifice sepultus est, — nec secus eius uxor Catharina Benigna nata Triklin, capellam Lauretanam, posita pro sacris in ea dietim celebrandis fundatione, struxit; in qua etiam 1726. tumulata extitit. — At quia Ecclesia in loco pro tunc paludoso super palis terrae incussis aedificata, nec valde fortiter compacta fuit, — anno 1745 fornix in navi deponi, et novus cum sacristia et turri erigi debuit, labore cum anno 1755. totaliter terminato.

In hoc Conventu habet Ordo et Provincia privilegium a Carolo III. rege concessum, pannum habituales pro usibus suorum Conventuum parandi, quin pannificibus et pannirasoribus in obversum niti liceret.

Mox a primordio huius novi Conventus fungebantur in Ecclesia nostra duo concionatores hungarici, duo germanici, et unus slavicus; verum regnante Iosepho II. agente etatis Civitatis regiae parochi, omnes in Ecclesia nostra

conciones cessare debebant; sed duobus hungaricis concionatoribus, et uni germanico, in parochiali Ecclesia obligatio concionandi imposita, — quin tamen pro horum labore aliquod subsidium Conventui resolutum fuisset; — quamvis duo concionatores pro celebrandis sacris omni die ad Ecclesiam parochialem ire fuerint obligati, et insuper concionator germanicus munere catechetæ in scholis normalibus fungeretur. — Quid plus? intimato Exc. Consilii, die 26. Maii 1787. impositum fuit P. Min. Provinciali, ut in subsidium parochi Strigoniensis, 4. Presbyteri, hungari, germani et slavi, ad praementionatum Conventum Strigoniensem disponerentur. — Quia vero Conventus taliter gravatus, subsidia forensibus parochis praestare non poterat; facta est a parte horum protestatio contra parochum Strig. qui duobus utique capellanis provisos, tamen tanta servitia a Conventu extorsit. — In cuius sequelam Celss. Princeps Alexander a Rudna 1820. die 15 Maii in A-Episcopum installatus, mox eodem anno die 17. Aug. medio sui Vicarii Gen. Iosephi Bèlik ordinem Divinorum in Ecclesia Conv. postliminio reduxit ac statuit; ut: singulis diebus Dominicis et Festis concio slavica hora media septima; germanica vero hora 9. servetur, et post illam hora 10. sacrum decantetur. — Tandem sub Celss. D. Archi Praesule Iosepho Kopácsy an. 1841. PP. nostri a concionibus hungaricis in Ecclesia Parochiali dicendis, relevati sunt.

Quia vero Ecclesia Conventus an. 1716. die 4. octob. per Rssmum D. Ioannem Illés Can. Strig. benedicta, necdum consecrata fuit; eam praclaudentes A-Praesul Alexander a Rudna, 1823. die 5. Octobris solenniter consecravit; unaque ad augendam populi fidelis devotionem disposuit, ut in futurum omni die Domini ac Festo fori, diebus item

sabbathi et profestis, in Ecclesia nostra, non secus ac in aliis Ecclesiis Provinciae nostrae, fieri solet, — fiant supplicationes seu Iytaniae; diebus quidem Domini et Festis cum Sanctissimo in monstratorio, diebus sabbathi et profestis cum exposito ciborio; insuper diebus Domini et Festis ut cum populo Rosarium oretur, commendavit. — Pro quo beneficio et pio favore Conventus cum fideli populo, immortales piae memoriae Archi-Praesuli agit gratias. — Anno insequenti 1824. administrationem parochiae Sz. Lék, conventui contulit.

Arx Strigoniensis magnum quondam et Tartaris inexpugnabile praesidium, semper iuris regii erat; Maria Theresia illud Francisco com. Barkóty A-Eppo pleno iure contulit; qui in eadem arce Vener. Capitulo Strigoniensi fundos pro aedificandis novis residentiis cessit. — Quam cessionem Princeps Alexander a Rudna die 12. Maii an. 1823. publice confirmavit. — Hic idem Archi-Praesul IX. Cal. Maii an. 1822. lapidem fundamentalem modernae Basilicae posuit; Arch-Praesul Iosephus Kopátsy laborem continuavit; tertius A-Praesul Ioannes Scitovszky, feliciter consummavit, et an. 1856. die 31. Aug. praesente Sua Maiestate Francisco Iosepho Imp. et Apostolico Hung. Rege, praesentibus item 5. Archi-Ducibus, Archi et Episcopis, et numerosis Ecclesiasticis Dignitariis, Proceribus et Populis, solenniter consecravit. Notandum: A-Episcopos Strigonienses gaudere titulo: „S. R. I. Principis“ quem Christianus Augustus, Dux Saxoniae, S. R. E. Cardinalis, ad successores suos A-Episcopos Strig. a Carolo 6. Imp. an. 1714. die 9. Dec. impetravit.

Hic Conventus maximam adusque crism subivit anno 1838. occasione exundantis Danubii — aquis totam Civi-

tatem adeo inundantibus, quod domus maiori e parte corruerint, unicum solummodo exiguum spatium ante Conventum prostabat siccum; — penetrantibus aquis cryptam, refectorium, et ambitus inferiores, totum aedificium labefactatum fuit; sed praecipue Ecclesia, cuius aliquot altaria dehiscuerunt, murus lateralis versus occidentem inclinari coepit; fornice in sanctuario et navi Ecclesiae adeo rimato, ut populus fidelis ob decidua in dies mortarii subin et tegularum frusta, eam intrare horrerit; — anno tandem 1857. Deo favente, et benefactorum cooperatione, inclinans murus valida pila fulcitus, rimisque fornicis perita manu obstructis, Ecclesia ad multos annos reducta, et novitus picta est.

Hic Conventus administrat exiguam paraeciam Pilis Sz. Lélekiensem, educat Provinciae alumnatum, spiritalia servitia domi forisque praestat lingvis: hungarica, germanica et slavica. — Quem hoc tempore regit M. V. P. Victor Németh, SS. Theol. Lect. em. act. Guardianus.

V.

KIS-MARTONIENSIS

ad S. Michaellem Archangelum.

Kis-Martonium (Eisenstadt) L. R. Civitas, in Dioecesi Iaurinensi, Comitatu Soproniensi. — Primaevus nostrae Provinciae in hac Civitate existens Conventus refertur ad annum 1414. — Desolatus anno 1529, dum Solimannus Turcarum Sultanus ducta contra Viennam expeditione, per hanc plagam transiens, Conventum prius spoliavit, dein in bustum redegit. — Turcis ad sua redeuntibus, rediere etiam Fratres; at Conventum ob defectum piorum Benefactorum restaurando non erant. — Nam anno 1532. lutherani iussu Ferdinandi I. Austria eieci, ad Comitatus Austriae conterminos se receperunt, Oppida et Urbes per Turcas evacuatas magno numero insederunt; et quia pecunia et audacia valebant; omnes, tam saeculares quam regulares sacerdotes eliminare adnitebantur, iuste a Ferdinando I. eapropter moniti et castigati. — Dictum primaevum Conventum ad Provinciam S. Mariae pertinuisse, manifestum redditur per id, quod Capitaneus arcis Kis-Martoniensis e Bonis eiatis desolati monasterii nostri, annuos 50. flor. cum festo S. Michaelis, monasterio nostro Psoniensi solvere obligatus fuerit.

Modernus Conventus originem sui debet pietati Excell. D. Nicolai e Comitibus Eszterházy, R. H. Palatini; — anno videlicet 1622. Gabriele Bethlen Transylvaniae Principe, cum magna potentia calvinistarum et aliorum acatholicorum, adversus Ferdinandum II. insurgente, accidit: quod Com. Nicolaus Eszterházy, pro tunc Iudex Curiae, in Comitatu Soproniensi arcem nomine Lakenbach inhabitans, ob invictam erga coronatum suum Regem fidelitatem, rebellibus exosus extiterit. — Rebelles favore armorum progredientes, ipsam arcem Lakenbach forti manu obsederunt. — Praelaudatus Comes Nicolaus in maximis angustiis constitutus, ad crepusculum, vigiliae S. Michaelis Archangeli votum vovit Domino: quod si ab inimicis liberaretur, in honorem S. Michaelis Arch. Ecclesiam et Monasterium Ordini S. Francisci, curaret aedificari. — Exaudivit Dominus preces eius, nam ad auroram ipsius festi Divo Michaeli Arch. sacrati, Dampier dux cum aliquot millibus Germanorum et Polonorum Neostadio veniens Rebelles a fronte agreditur; quod videns Nicolaus cum omnibus suis praesidiariis arce egressus, castra rebellium in latere tam strenue invasit, quod hi magna clade fracti et in fugam acti fuerint.

Restituta pace, Comes Nicolaus memor voti Deo facti, anno 1625. in Civitate Kis-Martoniensi, Conventum et Ecclesiam in honorem S. Michaelis Arch. struxit, in loco Conventus antiqui, a 100. annis in ruderibus existentis. — Finito opere Ecclesia die 1. Decemb. 1630. per Illust. ac Rssmum D. Stephanum Sennyey Ep. Iaurinensem, R. H. Cancellarium consecrata est, et Fratibus ordinis nostri collata, cuius collationis tenor est sequens.

Nos Comes Nicolaus Eszterházy de Galantha, R. H. Palatinus, Iudex Cumanorum, etc. etc.

Memoriae commendamus praesentium vigore, quibus expedit universis; — Quod posteaquam Nos a Deo ter Optimo, Maximo, domi forisque, pace ac bello, plurima accepissemus beneficia, atque inter caetera arcem quoque ac dominium Kis-Martón. apprehendissemus — — gratitudinem Nostram erga Divinam Bonitatem comprobare volentes — dum se oculis nostris miseranda species monasterii rui-nati, olim ad Fratres Ord. S. Francisci, in Civitate Kis-Martón. pertinentis; sed iam a 100 annis, partim temporum iniuria, partim inimica manu haereticorum diruti, ac solo aequati, stitisset. — — Admotis in nomine Domini sumtibus Nostris, monasterium illud una cum templo, ad maiorem Dei Gloriam, et B. Michaelis Archangeli honorem consecrato, intra breve tempus de novo per totum a fundamentis restauravimus, restauratumque proprio motu nostro religiosi Fratribus O. S. Francisci, Provinciae S. Mariae contulimus, ac dotavimus. — — Sign. in arce Nostra Kis-Martón. ipso festo B. Nicolai E. et C. anno 1631.

Non fuit frustratus sua intentione pietissimus Fundator; nam Civitas haeretica, mox ab ingressu Patrum nostrorum, cum omnibus vicinis Oppidis ac Villis, aliam coepit induere faciem, — Gratia Dei confortati Fratres nostri, tanto cum successu laborarunt in amplianda et excolenda vinea Dei Sabaoth, ut paucis elapsis, ab ingressu Fratrum nostrorum annis, vix unus aut alter haereticus in Urbe ac tota vicina peripheria reperiretur. — Ne quis ambigere possit, in tam admirabili haereticorum conversione digitum Dei cooperatum fuisse; veniam peto a Benevolo Lectore

modicae, a filo digressionis; ut sciat posteritas, cuius genii fuerint, et fors actu sint haeretici.

Conversam sub S. Stephano ad fidem Christi Gentem Hungaram, fuisse Deo, et religioni catholicae addictissimam, innumera monasteria per Reges et Proceres regni, domi et exterius posita clare loquuntur. Fuisse Gentem Hungaram throno regio fidelissimam (quod culmen virtutis) argumento sit Stirps Arpadi et mixta; duplici hac epocha plures leguntur aemulatione Domus Regiae, et exterorum Domus Regiae, cognatorum, suscitatae revolutiones; at ut Gens Catholica, directe contra sanguinem regalis prosapiae insurrexisset, et eam detronisare admissa fuisset; huius exemplum in historia catholicae Gentis Hungariae non reperitur.

Verum cum ortu Lutheri mutatus est color optimus; nam mox tanta vis haereticorum hocce regnum apostolicum invasit; quod cooperantibus frigidis Catholicis, quibus praeter catholici nomen nihil inest orthodoxi; siquidem huius modi larvas omnis ferebat, et fert moderna aetas; Fratres nostros e pluribus Conventibus eiecerint; quod amplius comprobatur edicto sequenti:

Nos Ferdinandus Divina favente Clementia Hungariae Bohemiae Rex, Archi-Dux Austriae etc. etc.

Universis ac Singulis Magnatibus, Nobilibus, atque etiam Civilis conditionis subditis in regno Nostro Hungariae — Salutem et gratiam.

Perlatum est ad Nos, aliquos vestrum, nominatim qui civilis conditionis estis, nescitur — quo consilio et praesumptione, Fratres Ord. S. Francisci, suis claustris vestro proprio arbitrio, magna in parte eiecisse, et eos saltem qui vestrae placuerunt voluntati reliquisse. — Quae res manifeste indicat, vos lutheranum dogma imitantes, e

sacris aedibus laudes divinas sublatas, atque abolitas esse velle. — Eam igitur rem, sicut mali exempli est; ita non sine indignatione audivimus; nec patiemur ut hoc vestro perverso haeretico exemplo, rudis et ignara plebecula inficiatur. — Proinde vobis quicumque haec facere ausi estis, sub gravi poena mandamus: ut hoc vestrum iniquum, turpem haeresim redolens flagitium, quam citissime corrigatis, claustra ac domos, quocumque genere rerum sive publicarum, sive privatarum occupatas mox evacuetis, liberumque earum usum atque potestatem ipsis Fratribus permittatis; Fratres pulsos ad Claustrum redire sinatis. — Ministro quoque ac Custodi liberum in Civitatem et ad Fratres accessum praebeat. — Nisi enim id feceritis, certe vobis persvadeatis, ita Nos hanc praesumptionem vestram, malumque exemplum punitum iri, ut plerisque documento sitis futuri. — Datum Viennae die 16. septembris, anni 1542.

Diris devovebant haeretici D. Fundatorem dum Conventus aedificari coepisset, parati laborem impedire, nisi armati Dominales obstitissent; anno autem 1647. adeoque vix evolutis 17. ab ingressu nostrorum Fratrum annis, iam benedicebant D. Fundatori quamvis iam tunc mortuo, quod hocce monasterium construendo, multorum millium ad fidem catholicam reductorum, aeternae saluti consuluerit.

Postquam pientissimus Fundator Nicolaus iam qua Regni Palatinus anno 1645. die 11. septembris in Oppido Nagy-Höflein, an. aet. 63. humanis ereptus fuisset, peractis in ecclesia nostra, hebdomadae spatio durantibus exequiis, Tyrnaviam ad ecclesiam PP. Iesuitarum, quam ipse cum celeberrimo collegio academico fundaverat translatus, ibidem tumultus est.

Successit filius Paulus, opulentiae et virtutum paternarum dignissimus haeres, anno 1681. Reg. Palatinus electus. — Hic in ecclesia nostra pro se et successoribus suis, magnificam cryptam in forma Mausolei erexit, in qua prima sepulta fuit Ursula eius uxor, mortua an. 1682. die 31. Martii, aetatis 39. — Post 9. annos Princeps suam olim dilectam conjugem videre volens, reserato sepulchro, eam penitus incorruptam reperit, — quam tumulo eximi, novis vestibibus indui, et ad concavam cryptae illius partem collocari fecit, ubi sub prominente crystallo stans, hodie dum incorrupta perseverat.

Conv. Kis-Martón. per Iosephum II. nec abolitus nec confirmatus fuit; anno quidem 1786. die 21 Nov. venit Buda mandatum, ut pavimentum Conv. avena militari repleatur, sed quasi per oblivionem, nec confirmationis, nec abolitionis facta fuit mentio; unde iure concludi potest, quod D. Fundator abolitioni obstiterit; tacta attamen confirmatio concluditur ex intimato Exc. Cons. de 11 Jun. an. 1787. quo mandabatur: ut ad hunc S. Michaelis Conv. tot numero Presbyteri disponantur, quod tum pro hac S. Mich. ecclesia, tum pro ecclesia supressi monasterii sacri Montis Calvariae, in quo Parochia esset erigenda, ad subsidiariam operam essent sufficientes futuri.

Anno 1809. die 22. Julii. 3000. Galli Italici mixti, ex exercitu Eugenii Italiae pro-regis et Napoleonis I. privigni, Kismartonium venerant; qua occasione 11. medici et officiales, cum suo famulitio Conventui illocati sunt; victu, hospitio et omnibus necessariis per Conventum providendi, — sufficiat tamen instar retributionis quod honesti homines fuerint. — At illorum militum, qui ob patratos excessus sub tectis Conventus pro poena clauderantur, blasphemii-

as, et alias impertinentias tolerare, arduum fuit, — duravit autem hic violentus status a 22. Iulii 1809. usque 18. oct. eiusdem anni.

Quae quidem omnia damna bonus Fundator Conventui recompensavit, imo et vicinam domum Iosephi Emerich sculptoris flor. 3300. emit, et Conventui ad augendam aream contulit. — Praest huic Conventui: M. V. P. **Florentianus Tóközy**, concion. emer. h. t. Guardianus.

VI.

CONVENTUS NITRIENSIS

ad Divos Petrum et Paulum Apostolos.

Extitisse Nitriae extra Castrum in suburbio claustrum Fratrum minorum cum ecclesia ad Assumptam B. V. Mariam certum est. — Verum controvertitur de loco et tempore erectionis ejus, — in dubio pars tutior est eligenda; ergo historiae Episcopatus Nitriensis, quae usque praesens inviolata persistit, fides adhibenda; Chronologi Provinciae initia antiqui Conventus nostri referunt ad annum 1248. quia in privilegialibus Belae IV. regis, anno 1248. Civitati Nitriensi datis, fit mentio ecclesiae B. V. Mariae, cui claustrum Ord. S. Francisci adnexum fuit; — at illius initia verosimilius ad annum 1238. referenda sunt, quo Jacobus Ep. Nitriensis, Nitriae Ecclesiam B. V. M. consecravit, cuius fundator indubie ille idem Episcopus extitit. — Claustrum hoc extra Castrum existens multis direptionibus expositum fuit.

Caetera inter, anno 1441. Ioannes Petrus Forgách de Ghymes, nescitur qua ira percitus, Conventum hunc expulsiis Fratribus manu suorum satellitum spoliavit et combussit; et ideo Eugenius IV. Pontifex, Dionysio de Széts Card. et Archi-Eppo. Strigon. commisit, ut faceret inquisitionem contra Joannem Forgách et alios destructores Con-

ventus Nitriensis, eosque ad reparanda damna adigeret; quod etiam factum fuisse inde concluditur; quia Conventus hic anno 1502. rursus floruit. — Extant enim litterae in pargamena P. Andreae de Bachia Min. Provincialis, quarum vigore praeactato anno, Conventus Nitriensis assumpsit missas legendas, quas fundaverat magnif. D. Hedvigis, relicta Stephani Zapolya palatini vidua, pro refrigerio sui mariti, item pro filiis suis Joanne et Georgio. — Verum post funestam cladem Mohácsiensem eversis per turcas, et haereticos Sigismundi Zapolya assecclas multis urbibus, et Conventibus, anno 1558. penitus eversus et dirutus fuit.

Conventu ruinato, Fratribus dilapsis, tenuta ruinati Conventus per Rudolphum Caesarem Fratribus Poseniensibus tradita erant anno 1578. — Verum haec tenuta absentibus Fratribus ad diversorum usurpatorum manus devenerunt. Et ideo ne totum periret, Joannes Telegdy Eppus Nitriensis, rudera claustrum cum hortis, mola, platea monachorum et residuis adpertenentiis anno 1626. a Conventu Poseniensi pro se emit, et dein anno 1628. haec omnia Ven. Capitulo donavit; infundo Conventus et hortorum subin erectae sunt plateolae jurisdictioni Ven. Capituli ad praesens obnoxiae.

Quoad locum antiqui Conventus variae erant opiniones, — in Schematismo Provinciae diu legebatur, Conventum nostrum extitisse extra portam Civitatis inferioris, quae utique eodem tempore cum Conventu non extitit. — Alii putant antiquum Conventum extitisse in monte viridi alias Kövesd, ad hanc opinionem ducti, quia populus fidelis singulis annis in Festo Assuntae processionaliter illuc concurrere solet. — Verum ecclesia illa non est ad Assuntam, et tempore antiqui Conventus iam stetit; ergo non

fuit aedificata pro Franciscanis, minus pro Nazaraenis. — Verum est, quod 1765. Ioannes Gusztiny Eppus Nitriensis, penes ecclesiam montis Kövesd domicilium posuerit pro viris religiosis Congregationis Nazaraenorum, sed humile, exiguum propter angustiam loci, ita quod nullam formam antiquis claustris Franciscanicis propriam referat.

Locum proin antiqui Conventus nostri, haec scribenti dilucidavit Rmus. D. Ioannes Kelecsény Cath. Eccles. Nitriensis Praepositus, anno 1866. mortuus; Vir doctissimus, et a peritia antiquitatum celeberrimus, qui haec referenti dixerat: non sciscitentur de loco ac tenuis antiqui Conventus, nos sumus in usu, nos scimus optime; ergo secundum perhibitionem praeclaudati D. Praepositi, Conventus cum horto superiori et inferiori stetit in immediato collimitio moderna plateae Gyürkensis, et quidem ad modernas scholas normales; hortus superior claustrum conterminus fuit vitibus expositus, et ad viam publicam domus torcularia cum magno celario in saxo excavato, ubi nunc diversorium Ven. Capituli existit.

Modernus Conventus authorem suum veneratur: Ioannem Telegdy A. Eppum Colocensem, Epptus Nitriensis administratorem, qui anno 1630. ad moenia urbis pro Fratribus nostris in fundis pretio aquisitis Claustrum aedificavit, et pro conservatione sartorum tectorum 5000 f. foundationem fecit, quae post multas pecuniae devaluationes vix aliquot centurias efficit; dedit insuper D. Fundator Conventui sat spatiosum hortum pro oleribus prope portam civitatis, et pratum, prato dominali conterminum, pro cuius usus fructu annue recurritur, ad suspicionem proprietatis evitandam.

Vicinitas Conventus tunc temporis sequens fuit: ad

orientem juxta murum areae fuit domus Mathiae Kéczer, ad occidentem penes murum horti fuit domus D. Ioannis Szölösy, abinde hospitium Castellani et satraparum juxta portam Civitatis; ad meridiem moenia Urbis; ad septentrionem ipsa Urbs.

Conventus hic postquam 33. annis stetisset, anno 1663. superveniens Turca, Urbem cum Conventu occupavit; illa tamen fuit in barbaro humanitas, quod occupato Conventu, 13. Fratribus, alium locum extra Castrum, nempe allodium Capituli Strigoniensis (nunc domus civica) inhabitandum dederit. — Sed quia militiam turcicam qua indivulsi pedisequi comitabantur calvinae haereseos ministri, ut per Turcas auro solutos, coesis aut fugatis catholicis sacerdotibus, derelictae plebi catholicae, suae haereseos virus instillarent; 13. Fratres Nitrienses hospitio jam per Turcam provisi, amenam regionem Ujváriensem, a haeretica pravitate praeservare volentes; a supremo Purpurato Érsek-Ujváriensi facultatem mendicandi petierunt in peripheria Ujváriensi, — quo sic praetextu mendicationis Catholicos libere adire, eos in rudimentis catholicae religionis informare, eis sacramenta administrare, et contra haereticos ministros praemunire valerent. — Successit res e voto, acceperunt Fratres a Bascha Ujváriensi scriptam facultatem, cujus copia ex originali desumpta hiece exhibetur. — Et sic zelo 13 Fratrum Nitriensium, tota regio a Nitria versus Ujvárinum et ultra, in catholica religione servata est.

His praemissis quaeri posset, an turcae vel haeretici, Catholicis perniciosiores fuerint? turcae pecuniam sitiabant, haeretici sangvinem; Stephanus Boeskey calvinistarum dux sub Rudolpho Caesare, negabat se regnare posse,

En Hajos melem et Lassa's hatalmas tudokli es jios hiteket hallkudo Lörök Chapsar-
 nak egyikedi tanosja, a Dunan mit beiröhdainat foy poronjokria es Erskelli-
 Vasi V. J. halanak mostanj hite tarto jone viiseleie, In engedelmibüll.

Handwritten text in Persian script, likely a translation or commentary on the Hungarian text above. It is written in a cursive style and occupies the left side of the page.



Jushtudara min Denek, hajj et Nitrai tipen haom barotok kömörge-
 nek ajen hajj hite lerdünköt adnaak n. g.; az my török partuakent
 bekivel kedulhetnanak, minkei maj naptul fejeza kett egyßfejtien-
 drigh myß engedetik n. hite, es fejedemis ajen igaf török török
 hit. mre, es az hatalmas tudokli es jios hiteket hallkudo Lörök Chaps-
 aom aldot fejeze, hajj ajen nitraj tipen haom barotnak kett
 egyßfejtien drigh az my török rendünküül es hiearu datadu vit-
 ekin küül es my n. me beatawk es engedelm n. m. leszen, az my
 török partuakent ott ier hatnak a hajj akariak, melink nagjod
 bitonozanak staest attam ajen nagjar es török ivasomas vala
 dimens es hie Dajt. mit myß v. v. v. hite lerdünköt n. hite.
 Hajdar. 73) Xlv. 1063.

nisi omnibus Catholicis extinctis. — Sit aliud exemplum: anno 1550. Lippa urbs Temesvarino ad aquilonem 5. miliaribus distans, propugnaculis munita; sed a christianis turpiter deserta turcis cecit. — Mahometes urbe et arce potitus, dum eam perlustraret, et in templo Ordinis ac Provinciae nostrae, quod Carolus Robertus Hungariae Rex, memoriae S. Ludovici Tolossani, Ordinis nostri; Stephani V. regis Hungariae e filia Maria nepotis, Caroli ipsius patru, dum Sanctorum Fastis adscriberetur, anno 1325 dedicavit; — dum in hoc inquam templo Mahometes grandes plumbeas fistulas (organum) conspexisset, interrogavit P. Franciscum Szegedy loci Guardianum, quid hoc, et cui usui esset? accepto responso, et grato sono organi audito, collaudavit P. Guardianum et in pace discessit; — quem tardius a lutheranis delatum, quod in locis templi secretioribus magnum thesaurum reconditum haberet; — Turca accersitum ad tradendum bona modalitate thesaurum hortatur, quem quia Guardianus se habere negavit; Turca a lutheranis magis instigatus, ei quinque sanos dentes extrahi iussit; ab ulterioribus torturis, per certam matronam, quae superveniens turcis pecuniam obtulit, liberatus est — Illic P. Franciscus Szegedy post cruciatus multis adhuc annis vixit, iteratisque vicibus officio Ministeriatus fungebatur.

Abactis Nitria Turcis rediere Fratres, et Conventum licet anno 1679. combustum, moxque restauratum in pace incolebant usque tempora revolutionis Francisco Rákótzianae. — Verum an. 1703. mense Septembri venit cum exercitu Princeps Franciscus Rákótz, caesareos Urbe eliminaturus; qui etiam totam Urbem una cum Conventu nostro in cineres redegit; Conventus ad interim arundine

tectus fuit. — Pace ut credebatur stabilita, restaurando Conventui manus admotae erant; concurrentibus praefere-
 renter ad restaurationem Principe Rákótzky, Nicolao Com. Bercsény, et Stephano Com. Csáky etc. — Verum labore necdum terminato accesserunt Caesarei Rakotzyanos elimi-
 naturi; denuo Urbs tota cum Conventu in cineres acta. — Utraque hac vice muri Conventus globis labefactati, rimis
 quas agunt, praeteritae calamitatis usque ad praesens testes
 existunt. — Sorti Fratrum nostrorum pie compatiens Fran-
 ciscus Rákóczy pro restaurando Conventu contulit 1000.
 aureos, quibus accesserunt etiam aliorum Ducum notabiles
 symbolae.

Silentibus bellicis tumultibus, Civitas inferior sensim
 assurgebat, quam non parum consternavit Pestis, quam
 1739. mense Aprili Civitati intulit camerarius Francisci
 Com. Forgáts, in tertia a Conventu domo versus Semina-
 rium habitantis; qui mox cum suo adventu mortuus est;
 — alii dixerunt Pestem per milites adlatam esse. — Quam-
 obrem vigiliis in circum dispositis, Civitas clausa fuit 28.
 Maii. — Die 29. ad placandam Dei omnipotentis iram pro-
 cессio ex arce per omnes Civitatis plateas ducta fuit cum
 Venerabili, quod portavit D. Stephanus Nozdrovitzky Vic.
 Generalis, cum Reliquiis SS. Andreae et Benedicti Marty-
 rum, quas portarunt PP. Piaristae.

Pro spiritualibus servitiis peste infectorum e Patribus
 nostris se resolvit P. Cyriacus Kubinák qui 22. Maii ad
 parochiam discessit; qui quamvis a D. Parocho Stephano
 Szabó, ovibus suis toto tempore contagionis sicut zelose ita
 absque laesione serviente, pluries monitus, in providendis
 infirmis incautus et praefidens, die 13. Iunii in pestem in-
 cidit; — attamen feliciter curatus, tam firmam valetudinem

nactus est, ut qui ante pestem continuo aegrotabat, a peste curatus, semper sanus, grandaevam aetatem attigit, idem fertur et de aliis a peste curatis. — Die 17. Iulii, D. Parochus ex Ecclesia Parochiali ad Arcem magnam processionem duxit, ubi sub expanso tentorio exposito Venerabili et reliquiis Sanctorum Martyrum Andreae et Benedicti saltem lectum sacrum celebratum fuit. — Die 2. Aug. emanavit ab Excelso Consilio prohibitio in peste mortuos sepeliendi cum comitiva Sacerdotis et Ludimagistri, prout etiam mortuis pulsandi.

Tandem die 12. Nov. in festo S. Didaci, Deus misericors flagellum pestilentiae retraxit; cum a praefata die nullus in feste moreretur, sperabatur ante festa Natalia Civitatis reseratio; quae tamen ob falsos rumores protracta fuit usque 21. Feb. an. 1740. et sic Civitas 10. mens. clausa fuit. — Durante contagione, Nitriae, in Parúcza et Tormos filialibus, in peste et aliis morbis 1201. obiisse leguntur.

Quia vero hoc tempore in multis Patriae locis pestis grassabatur, ad praecavendam pro futuro similem calamitatem, gloriosae memoriae Mariae Theresiae limitaneam militiam a Bukovina usque littora maris Adriae pro custodia limitum, prout etiam loca Contumaciae instituit.

Conventus noster Divina Providentia favente a peste immunis fuit. — Verum an 1772. typhus et petechiae in Urbe et periphèria multo plures ac pestis rapuerunt; — periverunt in memorialis morbis: P. Cornelius Blaskovits Guardianus, cum septem presbyteris, quatuor Clericis, et duobus Laicis. Anno 1809 Hostilitas Gallorum usque Nitriam non pervenit; nihilominus eius oneris nec Nitria expers mansit; nam ad regium mandatum, amplissimo PP. Piaristarum collegio in nosocomium

sauciatorum militum converso — PP. Piaristae se cum omnibus suis rebus ad exiguum Conventum nostrum receperunt; die 20 Aug. 1809. pro nocte venerant duo Patres Piaristae, successivis autem diebus Nro. 33. — Hi omnes cum suis servitibus occuparunt totum tractum versus plateam, quem incolebant usque mensem Iunium an. 1810. — tunc impletum fuit adagium: in exiguo spacio multos bonos habitare posse. PP. Piaristae non fuissent oneri, si non fuisset aliud incommodum; verum ambitus Conventus tam superiores quam inferiores a die 14. Aug. 1809. usque 18. April 1810. annona militari adeo repleti erant, ut difficile fuerit singillativis per ambitum transire.

Anno 1815. die 24. Iulii, circa horam 5. pomeridianam subito tanta copia aquarum totam vallem Nitriensem inundavit, quod complures pagos annihilaverit; altitudo aquae vel inde metiri poterat, quod e muro nostri culinaris horti semi alterius orgiae alti, pure superiores tegulae prostiterint; in defluxu parvi fluvii Nitra 70. domus corruerint; quia vero dicta aqua absque omni praevio indicio repentinissime advolavit; numerosos homines, et pecorum greges secum rapuit et suffocavit.

Conventus Nitriensis a 1. Iunii an. 1787. administrat Parochiam Superiorem, cum paucis filialibus. — An. 1793. die 17. Martii incendio deletus, mox tamen piis benefactorum symbolis restauratus, et anno 1860. non postremae formae turri ornatus; praeter parochiae administrationem, in Urbe, et exteris parochiis, subsidia spiritualia praestat lingvis: hungarica, slavica et germanica; in super alumnatum Proae educat. Praest Conv. M. V. P. **Thomas Lukácsy**, Prof. em. h. t. Guardianus.

VII.

CONVENTUS SABARIENSIS

ad S. Elisabeth. Vid. Hung. Duc.

In Dioecesi ejusdem nominis, Comitatu Castri ferrei situatus. — Sabaria colonia olim Romanorum, a Divo Martino Turonensi Eppo. qui hic loci natus fuisse perhibetur, celebre Hungariae Oppidum, iam an. 1360. Fratres nostros receperat. — Colomannus enim Iaurinensis Eppus, cuius dioecesi et ditioni subiectus erat hic locus, ex Hospitali fecit Conventum pro Fratribus nostris. — Verum an. 1541. postquam Solimannus Budam in suam potestatem redegisset, totamque hanc regionem Austriam et Styriam versus incursaret, dum nullibi quies, nullibi securitas praesertim religiosis affulgeret; residuum etiam quod barbarus intactum reliquit, destruxit lutheri et calvini haeresis; iam praeter hanc Civitatem undique inalescens; idcirco ipsam hanc Urbem impotentibus haereticis, Fratres nostri cum caeteris religiosis ac ecclesiasticis ad tutiora se receperunt; — determinatum quidem annum excidii, quo Fratres nostri Conventum hunc deseruerunt, nullibi adnotatum invenio; id tamen ante an. 1557. factum fuisse collimo, ex archivo Capituli Castriferrei, nunc Sabariae residentis; e cuius protocollis fide integra communicatum habetur; qualiter D.

Paulus de Gregoriantz Zagráb. dein Laurinensis Eppus, usum prati Nagyszapu-rét dicti, olim ad desolatum monasterium nostrum pertinentis, an. 1557. suo fratri Ambrosio contulerit sub onere 2 f. annue pauperibus erogandorum.

Posteaquam hic Conventus annis prope 100. suis ruderibus sepultus fuisset; Stephanus Sennyey Episcopus Laurinensis et Regni Cancellarius illum reaedificavit 1630 et nostris Fratribus contulit; quod duplici documento probatur, et primo quidem, quod idem D. Fundator dedit ad senatum Sabariensem, tenoris sequentis :

Nos Stephanus Sennyey Episcopus Laurinensis, locique illius Comes Perpetuus, R. Cancellarius etc. — Iudici, caeterisque Oppidi nostri Sabariensis salutem! Quando quidem Dei beneficio, Ecclesia in dies maiora facit incrementa, statutum est, ut monasterium Fratrum Ord. S. Fran ibidem existens pristino vigori restituatur, prioribus possessoribus tradatur. — Vobis Iudici et Iuratis dicti oppidi nostri Sabariensis, harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus visis praesentibus; praefatum PP. Franciscanorum ibidem existens monasterium, cum omnibus adpertinentiis et obvenientiis assignare, iisque debitum honorem ac favorem exhibere iuxta christianae pietatis zelum teneamini. — Datum Viennae die 2. Maii 1630.

Alterum documentum de peracta ecclesiae consecratione per ipsum D. Fundatorem sic sonat:

Ego Stephanus Sennyey, Eppus Laurinensis, Ferdinandi II. Imp. ac Reg. Aulae cancellarius etc. — Consecravi Ecclesiam hanc, quam post 100. circiter annorum ruinam, auxiliante Deo restauravi, adiuncto Ecclesiae monasterio, eo, quod et antea penes eam monastarium fuisse traditio

ferebat; collocavique in eo Fratres Ord. seraphici strictioris observantiae. — In honorem omnipotentis Dei, gloriosae V. Mariae, et S. Elisabeth, filiae Andreae II. Hung. Reg. qua Advocatae pauperum. — Datum Viennae die 2. Aug. an. 1634.

Conventus civitati contiguus, non tamen in fundo civitatis existit, sed in plaga Szokeföld dicta; Conventus aream et duas partes horti immediate circumfluit fluvius Gyöngyös. — Conventus cum civitate Sabaria, et toto comitatu Castriferrei, olim intra ambitum dioeceseos Iaurinensis existebat, eiusque Episcopo parebat. — Tandem an. 1777. die 17. Febr. Maria Theresia edito Diplomate, Episcopatum Sabariensem stabilivit, cuius dioeceseos Patronus est. S. Martinus. — Primum Eppum Sabaria salutavit, Illnum ac Rmum D. Ioannem Szily de Felső-Szopor, qui erecto pro clero iun. seminario, item magnifica pro se, successoribusque suis residentia; novae Basilicae erigendae fundamenta posuit; verum an 1799. vivis ereptus totum aedificium ad finem perducere non potuit. — Anno 1806. die 15. Iun. Illmus ac Rmus D. Leopoldus Somogyi, Eppus Sabariensis renunciatus, dictam Basilicam ad primas ecclesias Hungariae referendam feliciter consummavit.

Sabariam, hungaris (Szombathely) S. Martini olim Turonensis Eppi locum natalem esse, passim asseritur. — Contrarium docet P. Damianus Fuxhoffer benedictinus, in sua Monasteriologia regni Hungariae. — Doctrina eius multis displicet, qui ad sensum et testimonia antiquitatis provocant; sed etiam P. Damianus fortia habet pro seargumenta, quae Cl. Katona tom 1. pag. 54, sic describit ex Anonymo „Inde digressi Hungari, iuxta montem S. Martini castra metati sunt, et de fonte Sabariae tam ipsi, quam

eorum animalia biberunt“ Ad haec infert Cl. Katona: hic Anonymi locus aperte docet, iuxta montem S. Martini Sabariam a moderna distinctam extitisse. — Si Anonymo fidem dare non placeat; audiantur alii Anonymo non multo tardiores scriptores; Belae IV regis verba sic sonant: „deinde protenditur terrenum eius montis Pannoniae usque Sabariam, ubi dicitur natus S. Martinus.“ Haec igitur Sabaria S. Martini patria, locusque natalis erat, ut Carthuitius inquit, dum sic in vita S. Stephani scribit: „Quoniam Pannonia S. Martini Eppi nativitate gloriatur; — iuxta fundum S. Praesulis, in loco, qui sacer mons dicitur, ubi S. Martinus dum adhuc in Pannonia degeret, orationis locum sibi assignaverat, in titulo ipsius Monasterium construere coepit. — Maximum vero robur haec opinio accipit ab iis litteris, quibus Abbatia de Quyzin sub Geiza II. conditur an. 1157, addiciturque Monasterio S. Martini in sacro monte Pannoniae ob reverentiam et sanctitatem ipsius loci, propter B. Martini patrocinium, cuius nativitate in eodem loco habita, Pannonia gloriatur. — Non proin mirum, quod P. Damianus Fuxhoffer tam splendidis testimoniis fidem dederit.

At curiosa est contra P. Damianum sequens adnotatio: „Ea enim, quae P. Damianus Fuxhoffer e Belae regis Anonymi Notarii Nitriensis diario adfert.“ Certum enim est, Nitriae iam ante S. Stephanum sub ductu duorum Magistrorum canonicorum, publicas scholas extitisse; hoc testatur S. Maurus sub S. Stephano ad infulas VEcclesenses promotus, in vita S. Zoerardi civis Nitriensis, nunc eiusdem dioeceseos Patroni, scribens: „Ego Maurus, nunc Deo miserante Episcopus, tunc qua puer scholasticus bonum virum novi;“ certum igitur est, Nitriae iam sub S. Stephano viros litte-

ratos extitisse; at iuste dubitatur Anonymum ex illorum numero fuisse; Anonymus, si fuisset Nitriensis patriota, historiam urbis antiquissimae, eo tempore unius e primariis optime nosse debuisset, et qua talis pro dedecore suae Patriae tanta menda, authenticis scriptoribus contradicentia fingere non praesumisset.

His praemissis redeo Sabariam. — Anno 1809. die 7. Iun. in plateis civitatis cruenter conflixerunt equites Gallicum Huszaris nostris. — Gallis binis vicibus recedentibus, tertium assaultum nostri sustinendo impares recedere debebant. — Die 8. Iun. celerrime advolarunt Sabariam numerosi Galli, praeter privatorum domos nostrum quoque conventum replentes; quos Conventus omnibus requisitis providere debuit. — Ab illo tempore nihil contigit in Conventu, quod celebrioribus datis historicis accenseri posset. — Famulantur Fratres Domino domi forisque linguis: hungarica et germanica; quibus praeest: M. V. P. **Andreas Magyar**, Conc. em. h. temp. Guardianus.

VIII.

CONVENTUS

ÉRSEK-UJVÁRIENSIS

ad S. Franciscum Seraphicum.

Archi-Dux Mathias, frater Rudolphi Caes. et Reg. oppidum Érsekujvár pro refugio Christianorum contra Turcas muro et propugnaculis ad formam iusti praesidii communivit; sicque oppidum civibus et militibus refertum fecit. — At quia tempore illo haeresis Lutheri et Calvini in dies ultro serpebat, iamque etiam in oppido Ujvár asseclas haberet; et in vicinia vix ullo catholico curato ob continuas turcarum et haeticorum incursiones existente, paucis iam admodum Catholicis pessime provisum haberetur. — Magnus ille Archi-Episcopus Strig. Petrus Pázmány e Societate Iesu assumtus (cuius zelo, scientia, pietate et lucubrationibus plurima nobilium hungariae pars, deposito errore ad orthodoxam fidem amplectendam se permotam fuisse olim fatebatur) animo reputans: Catholicam Religionem, eiusque exercitia, per religiosos maxima incrementa capere consuevisse. — Conventum Érsek-Ujváriensem una cum Ecclesia Divo Francisco Seraphico dicata aedificavit; asserti veritas ipsius fundatoris testimonio comprobatur, quod est sequens:

Nos Petrus Pázmány, Miseratione Divina S. R. E. P. Cardinalis, M. E. S. Archi-Episcopus etc.

Cum Nostras curas, omnesque cogitationes nostras eo dirigimus, ut Dei cultus, Catholicae Religionis exercitium quam latissime propagaretur. — Praeterea etiam singulari devotione erga S. Franciscum Seraphicum piissimae Religionis Patriarcham incitati „cuius die Festo in lucem editi sumus, et eius admirandam sanctitatem, velut Tutelaris nostri, a teneris annis peculiari veneratione coluimus,“ — in honorem omnipotentis Dei, et S. Francisci, exiguum monasterium ac templum in fundo nostro arcis Ersekujváriensis, Fratribus Ref. Ord. S. Francisci aedificavimus; certa spe ducti, quod meritis et intercessione S. Francisci, piorumque ibi degentium Religiosorum precibus, magna praesidio Ujváriensi subsidia impetrabuntur non solum contra Turcas iuratos christiani nominis hostes; sed etiam contra eos, qui miserando errore decepti, sub nomine christiano falsis dogmatibus inhaerent. — Pagis vero adiacentibus velut e vivo et limpido fonte salutare, ac in vitam aeternam salientes aquas, ex eodem monasterio supeditandas firmiter speramus.

Quocirca cum Templi ibidem per Nos structi consecratio ritu solenni in praesentia Nostri peracta sit, praesentis anni 1631. Dominica infra octavam Ascensionis Domini. — Vigore harum Literarum, Nos idem illud Monasterium ac Templum dictis Religiosis Ord. S. Francisci, consignavimus, ac cum benedictione Dei perpetuo inhabitandum damus et conferimus; ita tamen, ut in hoc Monasterio Fratres strictionis Observantiae Ref. collocentur; qui et evangelicae paupertatis, et suae observantiae zelum habentes, Deo famulentur. — Quia vero in Ecclesia Parochiali

novae Arcis, hungaricae conciones habentur; volumus, ut in templo monasterii per Nos extracti, germanica concio ordinarie fiat per eosdem religiosos Ordinis S. Francisci sacerdotes etc. — Una declaramus: Nos Fratres in dicto monasterio habitantes, nullo modo obligare vel adstringere velle ad quidpiam faciendum, quod ipsorum conscientiis, Regulis, Generalibus Statutis, Summorum Pontificum declarationibus contrarium foret; quin imo eos contra quosvis, qui illos in observantia turbare vellent, protegemus. — Quod ut ad Dei Gloriam sempiternam, et ad honorem S. Francisci, Religionisque strictioris Observantiae incrementum cedat, Deum ac Dominum nostrum submissa prece veneramur. — Eosdemque Religiosos peramanter rogamus, ut Nostri coram Deo memoriam habere non intermittant. — Datum Sellyae ad Vagum, an. 1631.

Anno 1663, Turca capto praesidio, Fratres nostros, data eis omnia secum afferendi facultate, ad alios Conventus ire iussit; Conventum nostrum in residentiam convertit, quam 22. annis inhabitavit; donec Deo propitiante christiano exercitui sub ductu Aeneae Caprara successisset an. 1685. post duram 40. dierum oppugnationem praesidio hocce potiri. — Recepto praesidio mox recurrerunt Fratres ad supremum Ducem, monasterium sibi reddi orantes, libenter annuit Dux, datis Litteris sequentibus. —

Nos Carolus D. G. Lotharingiae Dux etc. Damus memoriae praesentium vigore significantes. Quod posteaquam Divina voluntate Ersek-Ujvárinum recuperatum, et faucibus barbarorum fortunate ereptum esset, ibidemque sacer Ordo B. Francisci Seraphici, Provinciae S. Mariae, prioribus quoque temporibus Domicilium incoluerit; nobisque institerit, quatenus eum in possessione eiusdem Conventus confirmare

dignaremur. — Nos petitioni eius justae et juribus consonae deferentes, eundem S. Ordinem in dominio et possessione memorati Conventus confirmamus, volentes, ut Hungarica haec S. Mariae Provincia, iam et deinceps quiete ac pacifice eum tenere ac possidere valeat. — In cuius rei firmitatem, has dedi Litteras sigillo Nostro signatas. — Datum in Castris Caesareis penes Comaromium positis, die 21. Aug. 1685.

Rehabito Conventu, ecclesia purgata et reconciliata fuit per Rssmum P. Martinum Sorman a Mediolano, Ministrum Generalem, qui Roma veniens, Hungariam personaliter visitavit. — Conventus hic pacem habuit, usque 1704. quo revolutione per Principem Franciscum Rákötzy suscitata, maiori parte regni occupata, ipsum Érsekujvárinum obsessum et acerrime oppugnatum fuit, qua occasione Conventus multa passus, sed impensis Principis Rákötzy reparatus fuit. — Verum recruduerunt ruinae an. 1710, dum perducem Heisterum hoc praesidium per integrum septembrem oppugnaretur, ignitis pilis e machinis excussis, totus hic Conventus convulsus et contritus fuit.

Restituta pace, an. 1724 hoc fortalicio cassato, cum amplius spatium suppeteret, Conventus tam quoad aedificium quam quoad aream et hortum notabiliter auctus est; cum prius adeo exiguus fuerit, ut vix 12. Individua ceperit; sed ob defectum nervi lente nimis ab an. 1721. usque 1734. aedificabatur. — Fatalis iterum fuit Conventui huic an. 1739. quo pestis nescitur qua via ad Conventum venit, et 4. victimas rapuit, quae ne ad oppidum propagaretur, die 1. Iunii Conventus clausus est; quo necdum reserato, die 23. Iulii, in domo primatiali, Conventui immediate vicina, fatale incendium erupit, totumque Conventum

in cineres redegit. — Peracta arduo Marte Conventus reparatione, dum Fratres nostri post tantas calamitates quietiora tempora operirentur. En rursus manum Domini! — an. 1763. vehementi terrae motu totum Oppidum concussum, Conventus plurimas aegit rimas, horribilesque hiatus, ut vix lateres cohaerere, et muri semet sustentare valerent; nil proin supererat, ac totum Conventum a fundamentis novum struere, qui iam an. 1768. e munificentia benefactorum magna incrementa accepit; sequente triennio cum adiecto sacello consummatus.

Denique ut pateat, nullum Conventum Provinciae Mariae pluribus obnoxium fuisse incendiis; breviter additur: Conventum Érsekújváriensem et hoc saeculo, videlicet, anno 1810. die 10. Maii; et 1815. die 4. Iulii combustum fuisse, et esse propter nimiam domorum vix ad orgiam distantem viciniam, incendio valde expositum. — Provident Fratres huius Conventus minus gymnasium, spiritualia servitia domi forisque obeunt lingvis: hungarica et slavica. — Quibus praeest: A. V. P. Ezechieł Tóth, concion. em. h. t. Guardianus et Definitor actualis.

IX.

CONVENTUS

NÉMET-UJVÁRIENSIS

ad B. V. Mariam Visitantem.

In Oppido Nemet-Ujvár Hungaris, Güssing Germanis nuncupato; — Dioecesi Sabariensi, Comitatu Castriferrei ingremiato, praeruptae arcis subiecto, iam olim Abbatiam Ord. S. Benedicti extitisse, historici perhibent, dicentes: Nemet-Ujvárini obtinebant Benedictini a Vallfero loci Comite anno 1157 conditam Abbatiam de Monte Güssing: cuius nunc loco monasterium pro Franciscanis aedificavit familia Battyániana. — Haec Dynastia olim pertinebat ad Com. Breberiensis, legitur enim in historia patriae, quod Andreas III. Hung. Rex, an. 1291. castigato Alberto Austriae Duce, redux Comitum Breberiensium de Güssing (eo quod Mariae Neapolitanae contra Andream saverint) castra everterit; hac familia fors deficiente, Ludovicus II. Hung. Rex, an. 1523 arcem Güssing, cum dominiis ad eam pertinentibus, Francisco Batthány Dalmatiae Bano contulit.

Quis fuerit Conventus huius fundator, quo anno et motivo fundatus fuerit, ostendit documentum tenoris sequentis:

Nos Adamus Com. de Battyán, perpetuus in Nemet-

Ujvár. S. R. Imp. Eques, partium Regni Hung. limitaneorum Supremus Capitaneus etc.

Memoriae commendamus. — — Quod Nos, posteaquam, Arcem et Dominium Nemet-Ujváriense, cum reliquis Bonis, iure patrimoniali et haereditario apprehendissemus; a Deo ter optimo, inter caetera innumera domi forisque, pace ac bello accepta beneficia; quod supremum est, ejus Gratia Fidei Rom-Catholicae veritatem agnoscentes, eam amplexi, et publice mediantibus Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis professi fuisset; seduloque identidem circumspiceremus, quomodo gratitudinem nostram erga Divinam Bonitatem, in Bonis nostris lutherana haeresi infectis, si non demonstrare, ad minus adumbrare, ac subditorum nostrorum saluti subvenire valeremus. — Oblata est oculis nostris, miseranda species cuiusdam templi in Oppido nostro Nemet-Ujváriensi, partim iniuria temporum, partim manu haereticorum desolata. — Templum illud ad maiorem Dei Gloriam, et gloriosissimae V. Mariae honorem restauravimus, ac penes illud monasterium a fundamentis ereximus, erectumque PP. Ord. S. Francisci, Provinciae B. M. V. praemissa solenni in praesentia D. Ladislai Com. Eszterházy de Galantha; D. Francisci Tolnay Praepositi Castriferrei, et quam plurimorum aliorum eorum Fratrum introductione, per manus Nostras tradidimus et assignavimus. — — Datum in Castro nostro Németh-Ujvár. 4 Julii. 1649.

Nec vana fuit pii fundatoris intentio Fratres nostros pro dilatanda fide catholica isthuc collocandi; hic equidem locus, cum adiacentibus oppidis et villis, haereseos sentina fuerat, e quo tanquam ex Equo Trojano exiliebant olim lutheranae, calvinaeque sectae praedicantes ac ministelli

plurimi, qui dein in reliquam immigrabant Hungariam. — Fuerant in partibus istis haereticorum pseudo-lycea, et gymnasia, typographia ac publica bibliotheca. — Divina tamen auxiliante gratia, tam Proceres et Nobiles, quam etiam Ruricolae, deposito errore conversi sunt adeo, ut lyceum nullum, gymnasia nulla, nihilque quod haeresim succolare posset reliquum manserit. — Quem zelum PP. nostrorum dum superstes adhuc pius fundator videret, ut eo alacrius sublatis impedimentis, zelum, quem in conversione haereticorum, ampliandaque in omnibus Dei Gloria demonstrare coeperant, prosequantur; annuam in perpetuum a se, et successoribus tribuendam Conventui eleemosynam assignavit an. 1649, quo etiam Litterae fundationales emanarunt. — Parochiam per montes et valles dispersam, pura e charitate in proximos administrant Fratres, lingvis: germanica et croatica.

Anno 1652. die 7. April. consecrata et dedicata fuit Ecclesia huius Conventus ab Illmo ac Rssmo. D. Ioanne Püszky, Dioecesano Iaurinensi ad Dei Gloriam, B. V. Mariae Elisabeth visitantis titulum ac honorem. — In hac Ecclesia tumulatus fuit primus fundator Adamus de Battyán an. 1659 die 13. Mart. uti et prognati omnes successive, iam in duas lineas divisi — quibus 1765. die 30. octob. accessit: Excel. D. R. H. palatinus Ludovicus, — tum Princeps Battyány Carolus, et comes Emericus etc. Qui omnes in familiae crypta, infra ecclesiam Conventus magnifice structa requiescunt.

Huic conventui praeest: A. V. P. Henricus Vill. Conc. em. actualis Definitor, h. t. Guardianus.



X.

CONVENTUS MALACZKENSIS

ad immaculate Conceptam B. V. Mariam

in Archi-Dioecesi Strigoniensi, Comitatu Poseniensi.

Malaczka cum tractu oppidorum et villarum iuxta albos montes (Carpatum) existentium, quondam pertinebat ad familiam Fugger, de hoc nomine sic sonat legis articulus sub Ferdinando I. Fuggerii et alii mercatores extranei, 40. partem mercium contribuunt. — Erant autem Fuggerii cives Augustae Vindelicorum, professione textores; qui commercium telae lineae et canabinae cum America, signanter cum Peruanis habentes, ad magnas in Germania et Hungaria opes et honores pervenerunt; tardius Principum dignitate condecorati. — Principatus Fuggerianus in orientali parte Sveviae actu existit, ditionibus Regis Bavariae adnexus. — Dum Carolus V. Imp. Franciscum I. Galliae Regem visitasset, et Franciscus apposito mensae pretiosissimo adparatu, Carolum interrogasset: Maiestas! numquid, mensalis haec supellex non adaequaret pretio unum regnum? Reposuit Carolus: habeo, inquit, Augustae Vindelicorum textorem nomine Fugger, qui totam hanc supellectilem parato aere solveret. — Bona Fuggerorum iam qua

principum in Hungaria perquam magna, via connubii ad inclytam familiam Pálffy transiverunt.

Malaczka ad dominium Detrekeõ iuribus familiae Pálffy obnoxium pertinens, axioma oppidi cum privilegio nundinarum accepit an. 1566. a Maximiliano Rege. — In hoc oppido Excell. D. Paulus Pálffy, palatinus, filius Nicolai, qui cum Principe Schvartzenburgico an. 1598. Iaurinum Turcis eripuit, totique familiae Pálffyanae praerogativam et titulum sup. Comitis Poseniensis cum multis Bonis acquisivit. — Animo reputans, ingentem animarum Deo lucrandarum occasionem fore, si intra dominium suum pro viris religiosis monasterium erigeretur, an. 1651. castellum muro cinctum pro claustro destinavit, illudque reipsa in clastrum transformavit; quod magis clarificant litterae sequentis tenoris:

Nos Comes Paulus Pálffy Hung. Palatinus etc. Memoriae commendamus. — Quod posteaquam Nos a Deo plurima beneficia accepissemus, circumspectantes, quomodo gratitudinem Nostram, Deo testatam faceremus; oblatu est oculis nostris situs et locus Oppidi Malaczka, in territorio arcis nostrae Detrekeõ existentis, — pro extruendo PP. Ord. S. Francisci, Provinciae S. Mariae congruo monasterio. — Quare admotis in nomine domini sumtibus nostris, monasterium una cum ecclesia ad maiorem Dei Gloriam, et immaculatae Conceptionis B. V. M. honorem dicata, per extensum ereximus, erectumque memoratis PP. Ord. S. Francisci, quod semper nobis in votis erat, ad inhabitandum, ibidemque jugiter ac devotissime Deo famulandum, praemissa solenni eorundem PP. Introductione, per manus nostras tradi curavimus; incorporando illud Provinciae S. Mariae, in Regno nostro apostolico iam a tempore anti-

quissimo fundatae. — Quia vero uti ipsimet perspeximus, dictus Conventus in loco ac territorio sterili existit; non praetextu alicuius census; verum per modum eleemosynae oblatæ, et deinceps offerendæ, resolvimus e suprafato dominio nostro Detrekeõ: 100. urnas vini, totidem cerevisiæ; 3 mutones frumenti; 40. cent. carnis; 10. cent. salis, lignum quantum ad sufficientiam, insuper universam sartorum tectorum Conventus et ecclesiæ conservationem. — Haeredes autem, ac posteros, successoresque nostros utriusque sexus universos, serio ac severe, imo sub gravi omnipotentis Dei indignatione monitos ac obtestatos volumus, ut hanc nostram traditionem in perpetuum illibate servare, nec non sacrae eleemosynae praespecificatam collationem, praetitulato Conventui nostro Malaczkensi ad amussim semper subministrare velint. — Datum in Curia nostra Posoniensi, die 11. Octobris, an. 1653.

Idem piissimus fundator, pio zelo erga Passionem Domini ductus, in latere ecclesiæ conventualis, sacros gradus lapideos, seu sacram Scalam, ad normam Scalæ Romanae, flexo prout moris est poplite scandendam erexit; — infra hos gradus plurimum SS. Martyrum reliquiae repositae sunt. — Fidelibus qui praefatam sacram Scalam flexo poplite scandunt, et ad intentionem S. Matris Ecclesiæ puro corde orant, Indulgentiæ a summis Pontificibus conceduntur.

Structo totaliter Conventu, Fratres nostri introducti sunt, praesentibus plurimis Magnatibus, ac copiosa multitudine plebis per manus Illust. ac Rmi D. Mathiæ Tarnóczy Eppi Vaciensis, una Praepositi Posoniensis; et Excell. D. Fundatoris ea in parte plenipotentiarum.

Ecclesia autem consecrata est die 28. Dec. an. 1660. per Illust. ac Rmum D. Thomam Pálffy Eppum Nitriensem.

In hac ecclesia inclyta familia principum ac comitum Pálffy celebrem cryptam habet. — Demum intra cincturam portae ecclesiae et ianuae Conventus, turris occidentalis transformata est in capellam SS. Sebastiani, Rochi et Rosaliae 1680, in qua e dispositione secundi fundatoris Ioannis Pálffy singulis septimanis pro avertenda pestifera lue, duae Missae leguntur; nec irrita fuit haec pia intentio, dum namque quaquaversum saepius pestis recrudesceret, oppidum tamen hocce cum vicinia, ad memoriam hominum, hoc morbo nunquam contaminatum fuit.

Conventus hic et ratione aedificii, et ratione situationis educandae Iuventuti religiosae aptissimus, ut plurimum novitios educare consuevit. — Quamquam existente Conventu S. Catharinae, et facta nationum an. 1765. in novitiibus separatione, in S. Catharina novitii; Malaczkae autem philosophi educabantur. — Verum ab an. 1812, facta iterum nationum coniunctione, hic Conventus pro continuo novitios recipit.

Quintus in serie huius Conventus fundator Excell. D. comes Carolus Pálffy ab Erdöd, ob singularia eaque praeclara in regem et patriam merita, ipsa die suae onomaseos, Divo Carolo Borom. sacrata, ab augustissimo Francisco I. Austriae Imp. 1807. ad Principatum Monarchiae Austriacae sublimatus fuit, titulo „Celsissimi Principis“ transeunte ad descendentes ex hac linea dumtaxat primogenitos.

Anno 1809. circa finem mensis Iulii venire Malaczkae numerosi Galli, ibidem et in peripheria totum tempus armistitii transacturi; qui secus etiam miseram plebem, ad formales incitas redegerunt. — Pro Conventu summe critica dies fuerat festum Assumptionis B. V. Mariae, qua die Napoleon suam relegebat onomasim; supremo Gallorum

duce graviter urgente, ut ea die in ecclesia Conventus concio germanica de eodem invicto Heroe fieret; cuius mandati respectu coacte habito, ad praecavendum omne malum, hora 9. congregato totius tunc ibi stativantis hostilis militiae corpore, P. Agapitus Neizer Guard. et una concionator germ. dixit concionem de Assumptione B. V. M. hortabatur omnes ad piissimum B. V. Mariae cultum, una declarando: Napoleonem ideo assumptum haberi ad thronum Galliae, quia semper fuit fidelis cultor Mariae Virginis. Satisfactum Gallis, ab illa die per tempus suae ulterioris commorationis ecclesiam nostram diligenter visitantibus.

Anno 1820. orta est in toto Dominio funesta Rusticorum revolutio, cuius primipilus auctor et fautor fuit certus cognomine Veisz, consurgentes rustici, fugatis officialibus enormia damna Principi intulerunt; suppressa per militiam revolutione, magis rei exemplariter castigati sunt. Causam revolutioni dederunt Dominiiales, qui in scio Principe subditos multis terris spoliaverunt.

Anno 1866. furente bello Austriaco-Borussico, commissa in Bohemia ad Königrätziū decretoria pugna, militia Austriaca interneccione caesa; hostis in multa agmina divisus, instar torrentis Bohemiam, Moraviam, Austriam, et partem Hungariae fluvio Morava conterminam inundavit. — Die 20. Iul. 16000. Borussorum Malaczkam penetrarunt, moreque hostili graves exactiones fecerunt; eadem adhuc die versus Posonium festinantes, ubi pluribus agminibus iuncti, commisso cum exiguo numero nostrorum proelio, confecto armistitio, itidem per Malaczkam redierunt. Hac occasione Conventus in nosocomium conversus fuerat; nam 25 Iulii advecti fuerant ad Conventum 72 saucii Borussi, quibus paulo accesserunt 43 lethaliter vulnerati,

cum multis parabolanis et 7. chyrurgis ; sicque omnes ambitus sauciis pleni erant ; accesserunt insuper multi currus borussici, quorum aurigae in area et horto non erant proficui. — Duravit hoc molestum onus usque 26. Aug. qua die superstites infirmi Breslaviam avecti sunt. Quia vero infirmi Borussi per omnes domos oppidi dislocati fuere, propagata per hos cholera, Malaczkae et in filiali 160 homines utriusque sexus rapuit.

Anno 1867. Capella olim honoribus S. Annae dicata, per inelytum Dominium pro familia Comitum in cryptam distinctam magnis sumtibus conversa est; cui primus est illatus: Comes Paulus Pálffy. — Praeest Conventui huic: **P. Chilianus Komnánzsky**, Lector Philosophiae emeritus, h. t. Guardianus.

XI.

CONVENTUS

SANCTI ANTONII

in Archi-Dioec. Strig. Comit. Posen.

Maxima omnium Hung. Insularum est Cituorum, quibusdam olim Scytharum; Hungaris Csallóköz vel etiam arany-kert, et quidem: vel ab auro, quod per extensionem Insulae in ripa Danubii non sine emolumento quaeritur; vel a fertilitate, fructus fert praestantissimos, et qua Ponium respicit, unum quasi pomarium est. — Fertur de Mathia Corvino, quod hanc Insulam hortis regis consistam, et ad elegantiam vivariis instructam, animi causa frequentare consueverit.

Georgius Lippay Archi-Eppus Strigoniensis, pro sua pastorali sollicitudine animadvertens, in tota hac vastissima Hungariae Insula 12. miliaribus in longum, in latum non amplius septenis protensa, eaque non minus nobilitate quam vulgo referta, praeter nonnullos parochiarum curatos nullos adesse religiosos, qui eos in administrandis ecclesiae sacramentis, reducendisque ad fidem orthodoxam haereticis auxilio succolarent. — Pio inductus zelo, ut etiam erga divum patronum suum S. Georgium, teneriorem contestaretur devotionem; iuxta ecclesiam divo Georgio Militi

et Martyri sacram, quae in loco illo ab antiquissimo tempore solitaria stetit, sed frequentissimo fidelium concursu colebatur; conventum et ecclesiam S. Antonio Paduano dedicandam, eamque Ordini ac Provinciae huic nostrae ingremiendam, an. 1660. erigere coepit. — Ast morte praeventus, opus consummare nequivit. — Successor eius Georgius Szelepcsény aequae Strigoniensis Antistes, pari erga S. Georgium et S. Antonium pietate coeptum opus continuavit, et an. 1677, ad apicem perduxit.

Nobilis vir Martinus Takács huic conventui donavit imaginem B. Mariae Virginis, in tela eleganter pictam ad formam illius, quam olim a S. Luca Evang. antea pictore, pictam fuisse vetus traditio innuit. Haec Ico arae devotionali in choro, a tergo maioris arae appensa fuit; accidit 1715. die 19. Iulii, hora 5. matutina dum ad consuetam in Provincia orationem mentalem religiosa familia convenisset, spectantibus omnibus patribus ac fratribus, quod haec Imago sanguineas ubertim miserit lachrymas; — quod quia pluries, inspectantibus diversis, diversae aetatis, sexus ac conditionis hominibus factum est, res pro miraculo habita, magnum in clero et populo clamorem suscitavit; plane ad ipsum augustissimum imp. Carolum VI. patena cum aliquot guttis deferri debuit.

Haec ubi intellexisset Emin. Card. A. Ep. Strig. Dux Saxoniae, Imaginem hanc per V. A. Diac. Samaritensem ad cubile superioris ambitus seponi, ibique duplici ipsius sigillo muniri, porta fenestrisque rapagulo clausis, et cortina obductis, iusserat; quod etiam executioni datum fuit die 25. eiusdem mensis, circa horam noctis 10. — At die 27. eiusdem mensis, ante horam 7. vespertinam inventa fuit eadem sacra Imago, non iam in priori loco

post aram maiorem, ubi illo tempore chorus extiterat; sed in ipsa ara maiori, cum tamen cubiculum obseratum, et clausum cum fenestris ab intus acclavatis, et in nullo prorsus violata sigilla permanserint; contigit hic stupendus eventus, spectantibus 2. Parochis, 4. Nobilibus, et domesticis Fratribus. — Queis auditis praelaudatus Cardinalis strictissimam inquisitionem ordinavit, ac praecipue quaesitum fuit: an hae guttae ex ipsa Imagine stillaverint? an vere sanguineae fuerint? deprehensumque fuisse a peritis dictam Imaginem omnino lachrymasse, et ipsas guttas sanguineas verum et naturalem cum proprietatibus sanguinem fuisse? haec omnia dum per testes et medicos comprobatum fuisset; prout etiam Imaginem illam absque fraude, illaesis sigillis ianuis atque fenestris, e cubili ad altare maius, sole adhuc radiante, pluribusque in ecclesia praesentibus comparuisse. — Sententia eiusdem AEpiscopi, eiusque consistorii, ipsa Imago publicae venerationi, ut actu perseverat, exposita fuit.

Tametsi conventus hic non modo toti insulae Csalóköz; sed aliarum quoque partium populis spirituali solatio, utilitatique extiterit; quia multa millia Fidelium e remotissimis etiam locis devotionis causa omni anno ad ecclesiam eius concurrebant; movit res invidiam amicorum, stipendia et alias eleemosynas nostris Fratribus invidentium; quorum testimonio conventus hic coram visitatore insulano pro inutili, minus necessario declaratus. — Intimato Excelsi consilii R. L. H., 22. Iulii an. 1786. abolitus fuit.

Excelsi consilii intimato, iuebantur Individua religiosa, ad alios huius provinciae conventus dislocari, eorumque specificae dislocationis informatio eidem Excelso Consilio transmitti; at una committebatur, ut usque ul-

teriozem eiusdem Exc. Consilii dispositionem religiosa Individua una maneant. — Et ideo longiori tempore conventus hic inter spem et metum haesit; metum, quia singulis diebus metuebat finalem executionem; spem autem; quia totius huius Insulae populus, praecipue: qui caractere, dignitate et facultatibus valebant, pro hoc conventu in suo esse conservando potenter egerant. — Lactabat amplius spes eo, quod a tempore publicati abolitivi Decreti; secundo iam anno currente, nec minima mentio audiabatur novi, quoad finalem executionem Intimati.

At spe delusi sunt omnes, nam e consilio regio die 15. Ianuarii an. 1789. venit, impositaque est P. M. Provinciali huius conventus evacuandi obligatio. — Assignata proin Individuis exigua pensione, et quidem Presbyteris 150. lajcis 120 flor. conventus hic rebus omnibus ad alios conventus translatis per religiosos coacte derelictus est die 7. Maii an. 1789.

Res autem ecclesiae pretiosiores aureae et argenteae, pietate fidelis populi comparatae, uti: monstratoria, ciboria, calices etc. per DD. abolitionis Commissarios, pro parte regis occupatae et Budam transpositae sunt. — Porro gratiosa Imago B. V. M. de qua superius sermo fuit, omnibus ornamentis per DD. Commissarios spoliata, ex ara deposita et ad cameram sacristiae reposita. — Sciendum ex oculis huius miraculosae Imaginis sanguineas guttas non tantum ad patenulam, sed etiam ad purificatorium stillasse, quod DD. Commissarii abiecerunt, quodque P. Secretarius Provinciae, qui illi tristi Tragaediae interfuit, ad se recepit et ad vitream pixidem poni curavit; — voluit etiam memoratam patenam argenteam sanguineis guttis conspersam redimere, sed a DD. Commissariis negativam accepit; per

quos haec patena cum caeteris pretiosis rebus Budam pro liquefactione translata est, cum 6500 f. capitalia fundationalia huius conventus constituentibus.

Ad multas instantias populi insulani pro conservatione Patrum Franciscanorum in conventu S. Antoniensi orantis, venit a consilio mandatum ad Generalem Vicarium Tyrnaviensem, ut ad conv. S. Antonii Curatorem animarum cum duobus cooperatoribus mitteret; pro quorum sustentatione exigua summa, utpote: pro Parocho 300 flor. pro cooperatorum singulo 150 fl. e fundo religionis resoluti erant; Vicarius Gener. D. Iosephus Vildt, sciens neminem dioecesanorum sacerdotum ad S. Antonium se pro tam abiecta summa resoluturum; insuper sciens, populum insulanum iam PP. Franciscanis asvevisse, et pro eorum conservatione multum supplicare; administrationem erigendae in S. Antonio parochiae, Provinciae obtulit, P. Provincialem provocando, ut quo ocius disponderet tres Patres, unum pro administratore, duos pro cooperatoribus parochiae S. Antonii; verum a parte Exc. Consilii tales praelaudato D. Vicario Generali apponebantur conditiones, quales nec ille probare, nec Provincia acceptare poterat. — Qua propter 1802. die 8. septem. inductus est parochus cum duobus cooperatoribus, cui assignatae fuerant filiales: Bacsfa, Tarnok et Szarva.

Anno demum 1809. dum de occupando pro parte fortalicii Conventu nostro Comaromiensi indubitate ageretur, eius temporis Guardianus P. Blasius Holczer, solatii quid rescire volens, die 19. septem. memorati anni accessit Excell. D. Stephanum Vég, Supremum Provincialium ac una Campestrium Comissariatuum Directorem, interrogans cum humilitate, quidnam finaliter intuitu Conventus Coma-

romiensis dccisum sit? — praefatus Excell. D. recte in pro-
 cinctu fuerat, Comaromio Tatam discedendi, ubi Rex
 maxima parte temporis bellici morabatur; ad quaesita P.
 Guardiani breve fuit responsum, nimirum: Paternitates
 Vestrae accipient post spatium 24 horarum mandatum,
 cuius virtute Conventum intra tres dies evacuare debebunt,
 hostis enim prope est. — Ad haec P. Guardianus omni cum hu-
 militate quaerit: quo nobis migrandum, et ubi impedi-
 menta nostra deponenda essent? tunc interiecto intervallo,
 quaerebat idem Excellentissimus: quis abolitorum Conventu-
 tum nostrorum proximior esset? respondente P. Guardiano:
 ex abolitis proximiores esse Iaurinensem, et Antoniensem;
 subiunxit idem Excellentissimus: ad quem libentius ire
 vellent? data optione P. Guardianus praelegit Conv. S.
 Antonii in insula Csalóköz — qui etiam mox pro Comaro-
 miensi Provinciae nostrae collatus est; resolutis pro eius
 reparatione 15000 fl. — His praemissis Fratres nostri
 die 3. octob. eiusdem an. 1809, evacuato iam maiori parte
 Conventu, sumto cum Philippo Mukkenhuber Vicario Pro-
 vinciae frugali prandio, Comaromio ad S. Antonium
 transierunt. — Haec est brevis Historia restitutionis Conv.
 S. Antoniensis.

Capitalia fundationalia 6590 fl. efficientia perinde
 Comaromio ad Antonium translata sunt. — Conv. restituto,
 Exc. Consilii Intimato die 3. oct. 1809. emanato, parochia
 e Conv. S. Antonii transferri iubebatur; quapropter Illmus
 D. Perény Vic. Gen. Capitularis possessiones a tempore
 aboliti Conventus parochiam S. Antonii constituentes, pri-
 stinae matri Vaika adfiliavit, vasis et vestibus sacris pa-
 rochiae S. Antonii medio D. V. A. Diaconi ablatis, et D.
 Parocho Vaikensi consignatis. — Qua consignatione vix

terminata, anno nimirum 1810. die 20. Nov. *Exc. Con-*
silium parochiam S. Antonii, eiat *Conventui* tradendam
 disponit. — Quod etiam post multas interiectas difficultates
 et earum solutiones factum est. — Vasa et supellex sacra
 a D. Parocho Vaikensi recepta, plenaque parochiae admi-
 nistratio die 30. Nov. 1811. *conventui* S. Antonii con-
 credita.

Ante abolitionem *Conventus*, ara maior in medio
 sanctuarii, e ligno, molis ingentis stetit, et post aram pro
 more antiquo fuit locus orationis Fratrum (chorus) dum
 autem dicta ara diuturnitate temporis debilitata et vermibus
 corrosa, ruinam minaretur; *Excell. D. Comes Georgius*
Apponyi, cryptam pro sua familia infra sanctuarium eccle-
 siae erigere volens, adpromisit se aram maiorem ad finem
 sanctuarii, ipsi muro adplicandam e marmore curaturum;
 si facultatem memoratam cryptam erigendi acceperit. —
Petitis praelaudati Comitis, invicti eo temporis Catholicorum
 athletae, superioritas nostra libenter detulit; moxque an.
 1782, accelerato labore, et crypta et ara maior curata est;
 verum abolito *Conventu* ara inconsecrata mansit usque
 1812. cuius anni die 25. Maii, *Illmus D. Nicolaus Rauser*,
 sede vacante in Pontificalibus suffraganeus per reduces
 Fratres nostros exoratus, eam solenniter consecravit, in-
 clusus eidem arae SS. Martyrum Coelestini et Maximillae
 reliquiis.

Interim antiquissima S. Georgii ecclesia, ad cuius la-
 tus duo Georgii A-Praesules, *Conventum* et ecclesiam in
 honorem S. Antonii Paduani aedificaverant, absque Pa-
 trono existens, diuturnitate temporis, nemine eam repa-
 rante execrata; iuxta dispositionem *Emin. Card. Ioannis*
Scitovszky, per aliquot *Bacsfänses* demolita est; material-

bus aere parato venditis, pretio ad fiscum ecclesiae S. Antonii, qua parochialis reposito. — Anno 1864. compossessores Bacsfänses, fundum demolitae ecclesiae, ad cuius conservationem nec teruntio concurrere volebant, sibi via facti adpropriarunt; — lite iuridica nihil proficiente; localis P. Guardianus dictum fundum a Compossessoribus Bacsfänsibus pro erigenda Calvaria petiit et impetravit. — Concurrentibus piis benefactorum symbolis, et cooperantibus multorum manibus, colliculo quem Illmus D. Comes Carolus Apponyi suo e fundo a vehi permisit, ad locum erigendae Calvariae translato, an. 1866 erecta est in fundo antiquissimae S. Georgii ecclesiae Calvaria scopo convenientissima, pro decore totius Insulae, et summa fidelis populi devotione. — Quae Calvaria manifesto existit argumento, catholicam pietatem, necdum in cordibus fidelium extinctam haberi; vix enim Superior Conventus manum operi admoveere coepit, mox concurrerunt certatim fideles, operam et sumtus suos, pro una aut alia Statione erigenda quoad familia duraverit, conservanda, largiter offerentes, qui etiam promissis steterunt, sicque omnes ferme Stationes habent patronos suos. — Perfecto labore Emin. Card. Ioannes Scitovszky in suo ad P. Ieremiam Herman Guardianum et dictae Calvariae fundatorem rescripto, anno 1867. die 30. aug. gratiose disposuit, ut erectae Calvariae benedictio, cum solennitate sacrarum Missionum perageretur; quae etiam solenniter peracta est die 30. octob. eiusdem anni, per A. R. P. Agapium Dank missionum popularium directorem, cooperante A. R. P. Cyriaco Piry, et aliis Fratribus.

Conventus hic, licet 1809. in eius reparationem 15000 fl. resoluta fuerint, ita reparatus fuerat, ut an.

1859. periculo ruinae proximus fuerit; ad multos iam praecedaneis annis formatos recursus, Sua Maiestas sacratissima resolvit pro eius restauratione 11000 fl., pro qua summa tam eleganter restauratus fuit, anno 1860 — ut an. 1864. Guardianus Antoniensus ultra 100 fl. in tectum erogare debuerit. — Si praememorata summa non extraneis, sed conventui consignata fuisset, praeter debitam reparationem, aliquot millia pro fundatione sartorum tectorum remansissent.

Anno 1666. primus huius Conv. Guardianus fuit M. V. P. Antonius Com. Cziráky, nunc eidem praeest: M. V. P. **Ieremias Herman**, concion. emer. h. t. Guardianus.

XII.

CONVENTUS

MARIANO-PRATENSIS

ad Natam B. Virg. Mariam.

In Comitatu Mosoniensi, Dioecesi Iaurinensi prope Niziderium existit lacus nomine Fertő, veteribus Poiso, qui attestantibus antiquissimis archivi arcis Fraknó documentis, antiquitus non erat visus; sed pagi in eius loco stabant, ad arcem Fraknó spectantes; an. 1300. erumpens hic lacus, celerrime in longum latumque crevit; hominibus fuga salvatis, pagi mersi nec amplius visi sunt; nomina submersorum pagorum adnotata habentur sequentia: Fekete-Tő, Iakab-Falva, Sár-Völgye, Iókút, Kender-Völgye et Fertő; hic ultimus erumpenti lacui nomen dedit. — Tam huius lacus eluvionibus, quam hostium incursionibus, vicina loca in unum vastum desertum ad plura milliaria extensum abiire. — In loco moderni nostri monasterii, extitit ab immemoriali tempore ecclesia fors parochialis ad Assumtam B. V. a populis gratia devotionis frequentata, cum pago Boldog-Asszony vocato. — Hic pagus pertinebat ad D. Gyleth, an. 1335. sub Carolo Roberto rege, Dynastiae Fraknoviensis proprierarium.

Post funestam cladem Mohacsiensem, Solimanno igne et ferro usque Viennam saeviente, tota haec peripheria funditus eversa fuit, ita; ut nonnisi rudera ecclesiae Boldog-Asszony-Falvensis remanerent. — Mansit haec ecclesia in ruderibus annis 123. nempe ab an. 1529, usque 1652. — Quod decursu tot annorum nec pagus reaedicatus fuerit, obstabat metus eluvionum lacus Fertő. — Anno tandem 1622. arx Fraknó cum tota ditione devenit ad familiam Esztórasz partim regia collatione, partim aviti sanguinis iure; anno quippe 1275. Petrus Esztórasz coniugem habuit Magdalenam Gylet, Nicolai Gylet ducis Sirmiensis et principis de Fraknó filiam. — Gyleti genus suum referebant ad Clodoveum Galliae regem, Hungariam intrasse scribuntur sub S. Stephano favore Gysellae reginae, fors sanguine nexae. — Arx igitur Fraknó cum tota ditione primum quidem Excel. Comiti Nicolao Esztórasz, conventus nostri Kis-Martoniensis fundatori obtigit. — Post cuius obitum transivit ad filium Ladislaum paternae pietatis haeredem; qui quamvis supralaudatam aedem instaurandi votum habuerit, ob tumultus bellicos quod voluit, perficere non potuit; an. 1652. in pugna ad Vezekény (Cottus Bariensis) a turcis cum tribus suis fratribus: Francisco, Thoma et Gasparo caesus. — Superstes frater Paulus an. 1652. successor et haeres, votum sui fratris implevit; qui in hunc locum veniens, inventa B. V. Mariae imagine, quae ante annos 123. combusta per turcas ecclesia, in mediis flammis illaesa mansit, et a fideli populo licet inter rudera ecclesiae magna frequentia invisebatur, magno desiderio exarsit huius Ecclesiae e ruderibus educendae. — Quod qua mente et consilio impleverit, ipse fundator in suis litteris manifestat, hoc modo:

Nos Paulus Eszterházy de Galantha, perpetuus in Fraknó, Curiae Regiae per Hungariam Magister. S. R. I. eques, Supremus comes Soproniensis, partium regni Trans-Danubianarum supremus Generalis, et Praesidii Csobáncz haereditarius Capitaneus etc. etc.

Damus ad perpetuam rei memoriam. — Quod cum Deus Ter Optimus, e singulari sua Benignitate et Gratia Ecclesiam hanc Boldog-Asszony-falvensem jam ante duo circiter saecula honoribus gloriosae V. Mariae constructam, pluribus miraculis illustrans, solennem effecerit peregrinationis locum; exopt tamen, dum Turca Christiani nominis hostis, bello in Christianos moto ipsam Viennam Austriae obsidione cingeret, hanc etiam sacram aedem, cum adiacente Pago, nec non tota vicinia funditus evertit, unde nonnisi exigua rudera dictae Ecclesiae adparerent. — Nos moti tanta calamitate, an. 1652. post mortem et gloriosum in pugna contra Turcas obitum Com. Ladislai Eszterházy fratris nostri desideratissimi vovimus, nos hanc Ecclesiam restauraturos, ad gloriam Dei omni meliori modo promovendam. — Quod ut tanto melius efficere valeamus; placuit nobis allodium quoddam pro mansione nostra, nec non pagum aliquem pro maiori securitate, in hoc campo totaliter deserto construere, qua in intentione nostra clementia Dei favente frustrati non sumus, statque de facto per gratiam Dei locus ille populosus. — Visa igitur tanta Dei omnipotentis clementia, maiori nos obstrictos esse obligatione manifeste advertentes, novum fecimus votum pro uberiori gratiarum actione, nempe; Nos monasterium religiosis PP. Ord. S. Francisci fundaturos, quod quidem etiam (sint Deo laudes) in opere est. — Tanta Dei clementia hic loci apparet, ut eam omnibus piis Christianis, iisque

numerosissimis, huc annuatim e remotioribus etiam locis
 confluentibus, palpabiliter videre liceat. — His igitur de
 causis, et alias etiam e debita obligatione nostra erga Deum,
 ac Beatissimam V. Mariam, Reginam nostram Haeredita-
 riam, cui nimirum iam antea omnem substantiam nostram
 resignavimus. — Introductis a nobis religiosis PP. Francis-
 canis, facimus etiam pro refrigerio animae nostrae et cha-
 rissimae Conthoralis nostrae Ursulae Eszterhazy, hanc se-
 quentem foundationem annuatim in perpetuum duraturam;
 et tam per nos, quam successores nostros illibate obser-
 vandam; etquidem: 40. cent. bubulae; 25. cubulos tri-
 tici, totidem siliginis ex hoc allodio nostro Boldog-Asszony;
 lignorum currus 50. e sylvis arcis et dominii nostri Ka-
 puvár, per suos proprios homines ad Conventum devehen-
 dorum, — vini soproniensis urnas 12. pro oleo demum ad
 lampades 25 flor. — cuius praemissae perpetuae fundati-
 onis nostrae haud immemores praedicti Patres, singulis
 diebus pro nobis, et conthorali nostra qua fundatoribus, vita
 nostra durante pro vivis, — decedentibus autem nobis pro
 defunctis, sacrum unum celebrare tenebuntur, et erunt ob-
 ligati in perpetuum. — Porro cum de sacra et vere mira-
 bili statua B. V. Mariae, quam ex arce nostra Fraknó
 Deo ita volente transtulimus, certam iam dispositionem
 fecerimus, quam dictis Patribus per manus nostras tradidi-
 mus, eandem dispositionem nostram, in omnibus punctis
 et clausulis hisce confirmamus, ad eiusdemque observan-
 tiam tam nos, quam successores nostros universos obli-
 gamus. — In quorum fidem hasce fundationales litteras
 Nostras, sigillo et chyrographo nostro munitas dedimus in
 possessione nostra Boldog-Asszony, in festo S. Stephani
 Hungariae Regis an. 1680.

Postquam piissimus fundator desolatam illam ecclesiam instaurasset, et illi monasterium pro Fratribus nostris adiunxisset, aliam statuam B. V. Mariae in summo altari collocavit, cuius originem ipse fundator Paulus Eszterházy memoriae prodidit; scribens: Inventam haberi hanc statuam in antiquissimo arcis Fraknó sacello, dum dominium eiusdem, an. 1612. Eszterházyani iuris esse coepisset. — De cuius sacelli initio nil aliud superest, quam inscriptio eius fronti incisa in hunc modum: Hanc Capellam Dux Gyletus in honorem Beatissimae Matris Dei renovavit an. 1233. — Fuit hic Nicolaus I. Gyletus Dux Sirmii et Comes Soproniensis, sub Andreae II. an. 1219. Palatinus regni renunciatus. — Ipsa statua incisum habet an. 1240. — Inventa haec statua translata fuit ad oratorium Excell. D. Christinae Nyáry consortis eiusdem Nicolai Esztóras, patris Pauli Comitis, tardius fundatoris conventus Pratensis. — Hic Paulus post mortem suae matris, dictam statuam concredidit curae et custodiae suae neptis Ursulae Eszterházy, qua tardius cum dispensatione Papali in coniugem ducta, occulto instinctu motus, an. 1680. eandem statuam ad ecclesiam nostram Pratensem deportari, et ad aram maiorem publicae venerationis gratia collocari iussit.

Instaurata taliter vetustissima illa Ecclesia, tribus solum annis floruit; nam anno 1683. Caramustafa Vezirius ad capiendam Viennam ab Amurate VI. Turcarum sultano cum 300,000 armatorum missus; totam hanc regionem torrentis instar inundans, ferro et igne omnia miscens, ecclesiam illam cum monasterio igne delevit. — Hoste imminente reportata fuit Eszterházyana B. V. M. statua ad arcem Fraknó pro tutela cum duobus Patribus eius Conventus, et hoc quidem conformiter dispositioni ipsius D.

Fundatoris, qui provide ordinaverat; ut: si haec B. V. M. statua, ob tumultus bellicos in ecclesia conventus Pratensis securitatem non haberet, cum duobus Patribus sumtibus Domini sustentandis, ad arcem Fraknó referatur, in sacello arcis ad aram ponatur, omnimode honoretur, et usque ultimam sanguinis guttam defendatur; Patres vero singulis diebus pro illius conservatione Missae sacrificium offerre sint obligati; manserat illa thaumaturga statua in Fraknó, quoad hostis victus et fugatus non fuisset.

Profligato a Vienna hoste rediere Fratres, demto [P. Antonio Diószegy Guardiano cum P. Marco Szablics in Conventu capto et in captivitate abducto, qui tardius soluto non modico aere redempti redierunt. — Conventus quidem celerrimo opere restauratus fuit; sed quia ecclesia capiendae multitudini insufficiens fuit, pius fundator an. 1687. „Titulum S. R. I. Principis“, pro se, successoribusque suis consecutus, novo accensus pietatis in beatissimam V. Mariam promovendae studio, modernam amplam ac magnificam ecclesiam cum duabus elegantissimis turribus a fundamentis eduxit, toto labore anno 1702 consummato. — Eodem anno Illust. ac Rmus D. Ladislaus Mattyasovszky Episcopus Nitriensis, ac Regni Cancellarius, praefatum Principem in Supremum Comitem Mosoniensem installavit, eademque occasione novam hanc Ecclesiam in praesentia celsissimi Principis Fundatoris, ac numerosorum Procerum regni solenniter consecravit.

Administrabat Conventus a primordio sui praeter parochiam Pratensem, etiam Feltoronyiensem cuius causa praeter duos concionatores domesticos, etiam pro ecclesia Feltorony duos habebat usque an. 1768. tandem illocato cor-

sum parochi ecclesiastico, Conventus ab onere et proventu relevatus est.

Anno 1809 die 3. Iulii venerunt Galli, de quibus notandum, quod regulas humanitatis ultra modum excesserint; Conventum intrantes, unum vas vini et 10. saccos farinae sibi in promptu extradari petierunt. — Conventu tunc recte tantum farinae non habente, Guardianum sub custodiam militarem miserunt. — Nocte intempesta, facto in domum Rabbini Iudaeorum impetu perfractis portis, fune collo Rabbini alligato, illum lamentantibus numerosis qui adcurrerunt Iudaeis per plateas inhumane raptabant, donec depositis per communitatem iudaicam pro Rabbino 1000 flor. deliniti fuissent. — Similibus inhumanis exactionibus in domibus DD. Parochorum, Officialium dominalium et aliorum privatorum patris discesserunt, ingratis sui memoriam relinquentes.

Naturalem huius Patriae statum haud valde laudaverim. Conventus habet amplum hortum, at parum utilem propter vicinum lacum Fertō, modo quidem exsiccatum, sed olim adeo aquis refertum, quod numero saepius totam regionem inundare solitus fuerit; — aquae e terra ascendentes et desuper stagnantes, hominibus ex una possessione ad aliam viam interceperant; auram insalubrem reddebant, in hortis arbores putrefactis radicibus perimebant, celaria replebant, et muros aedificiorum dehiscere faciebant; nonnullis annis, signanter 1813 et aliis, lacu exundante et ad plura milliaria in circum semet diffundente, pagi ex aquis instar parvarum insularum prostabant. — Est porro haec Patria repentinis turbinibus obnoxia; anno 1825. die 3. Ian. repente adeo vehemens turbo venit, quod neoreparatam lamineam turrim rapuerit et ad maiorem distantiam

portaverit; — ab illo tempore leniores quidem solent venire turbines, sed tamen rarus annus, ut in aedificio conv. et ecclesiae aliquid damni non causarent. — Fratres huius conventus serviunt domi forisque lingvis: germanica, hungarica et Croatica; quibus praeest: **M. V. P. Leonardus Czink**, concion. emeritus. h. t. Guardianus.

XIII.

CONVENTUS PAPENSIS

ad Natam Angelorum Reginam.

Papa in Dioecesi et Comitatu Veszprimiensi ad annum Marczal, oppidum copiosum; — nomen mutuatum habet a Papa — nam in hoc loco dicitur a S. Stephano exceptum fuisse Astricum Roma reducem, cum Corona quam Sylvester 2. summus Pfx S. Stephano miserat; quam cum S. Rex intueretur, in haec verba erupit: En! Papa nobis coronam misit.“ In cuius laeti eventus memoriam, locus ille Papa vocatur ab an. 1000.

Fuit hoc oppidum olim bene munitum, et propugnaculum contra Turcas haud ignobile, eiusque praefecti Capitanei Papenses vocabantur. — Hoc propugnaculum miles Hungaricus diu insederat, Turcamque in hanc plagam late dominantem excursionibus divexabat, subin et clade afficiebat; sic an. 1582. in comitatu castriferrei, ad pagum Kemenes Turcas cum numerosis captivis et spoliis revertentes, Ladislaus Majthény Papensis, et Chrystophorus Petthő Keszthelyiensis, capitanei; cooperantibus Haramiis magna clade affecerunt, captivis et spoliis privarunt. — Quoad Haramias notandum: praedones gentili nomine Haramiae dicti, in Slavonia publicis expensis alebantur;

unam haramiam constituebant 50. praedones cum suo capitaneo. — Sub Rudolpho numerabantur in partibus inferioribus 200 haramiae; authores haramiarum erant dynastae Slavoniae et Croatiae. — Haramiarum e publico solutorum, idem officii fuit, quod recentissime guerillarum, utpote: vias publicas Turcis infestas reddere, continuis caedibus ac rapinis barbaros molestare etc. Hi proin haramii multos etiam altioris ordinis Turcas in viis ex insidiis obrutos, uti: Mechemtem Solimanni generum, duos successivis temporibus Passas Budenses, et plurimos alios interfecerunt; ex hinc adeo ditati sunt, ut pluries etiam limitaneis militibus pecunia subvenerint; e litteris aut nunciis interceptis molimina Turcarum resciverint, et arcium capitaneos edocuerint.

Anno 1660. in capitaneatu papensi, Paulo Com. Eszterházy, ad dignitatem Curiae Regiae Magistri promotus: successit eius frater Franciscus Eszterházy, qui pietatem sui patris Nicolai, Kis-Martoniensis; et sui fratris Pauli, Mariano-Pratensis conventus fundatorum aemulari volens dum officium capitanei papensis, et dominium ditionis illius adiisset; Fratres nostros Papam introduxit, quibus usque ad feliciora tempora pure residentiam absque ecclesia struxit. — Scopus introductionis fuit, ut pio ac infatigabili conamine dictorum Fratrum, tam papensis, quam peripheriae in circum populus, e calvini haeresi, ad fidem catholicam reduceretur; dumque Deo favente, in dies plures ac plures converterentur, incessit dictos Fratres desiderium conventum cum ecclesia struendi; — quo fine ad Maiestatem recurrerunt, facultatem et subsidia petentes; ut sequitur:

Sacratissima Caes-Regia Maiestas!

Nos humiles Fratres Ord. S. Francisci, ad oppidum Papa per Illustrem Familiam Eszterházy introducti, non solum ibidem loci circa administrationem sacri Ritus Catholici, sed etiam in circumvicinis pagis, seu ecclesiis, post reformationem suis ordinariis catholicis Plebanis carentibus, hactenus fungebamur, et actu fungimur; sed quia praeter parvam residentiam, ecclesiam praesertim pro exercitio religionis praesidiorum, ac reliquorum Maiestatis vestrae officialium omnino germanorum (unica dumtaxat ecclesia nationis hungaricae Parochiali ibidem existente) summe necessariam, habeamus nullam; sed neque ad eam aedificandam necessaria subsidia a benefactoribus feliciori tempore florentibus, nunc ob continuas hostium incursiones, partim caesis, partim extremae depauperatis conquirendo sumus; sed neque Intentionem nostram Deo auspice praeconceptam, videlicet animabus iam conversis et in dies convertendis serviendi, in effectum deducere poterimus, nisi gratia et munifica liberalitate Caes-Regiae Maiestatis vestrae succolati.

Ea propter Maiestatem Vestram Caes-Regiam, qua regem Apostolicum, dominumque nostrum benignissimum ardentissimis precibus humillime oramus: quatenus pro antelata ecclesiola, in oppido Papa, pro humili eaque religiosa ordinis nostri Seraphici exigentia, extruenda facultatem, et e Caesareo fundo eleemosynario piam operam ferre gratiose dignetur. — Persistimus pro Incolumitate Maiestatis Vestrae orantes etc. etc.

Ad supplicem libellum venit ad Cameram Hungaricam Caes-Regia resolutio sequentis tenoris:

NOS LEOPOLDUS DEI GRATIA SACRI ROM. Imp. etc.

Postequam ad humillimam Instantiam Patrum Franciscanorum, Ref. Provinciae in Regno nostro Hungariae, et de super a Vobis perscripta, Nobisque demisse relata opinione, in subsidium structurae Templi sui in oppido Papa, pro exercitio catholicae religionis noviter erigendi, 300 flor. Rhen. e proventibus Camerae nostrae Hungaricae suppeditandos, 14 huius mensis novembris benigne resolvimus. — Ea propter hisce clementer mandamus, quatenus ulteriorem ordinationem penes perceptoratum nostrum, vobis subiectum facere velitis ac debeatis, ut attactis Patribus Franciscanis 300 flor. e mediis nostris ordinariis, salva tamen quotta annua ad usus nostros aulicos reservata, erga quietantiam realiter numerentur. — In eo satisfiet benignae Nostrae voluntati. — Datum Viennae die 14. nov. an. 1669.

Interim Fratribus nostris in aedificando ob defectum nervi parum aut nihil proficientibus; Franciscus 1. Eszterházy, dum e reconvalescentibus sensim, per Turcas vastatis dominiis suis largiorem proventum percipisset; hortatu praefereuter suae conjugis Catharinae Tököly, Conventum a fundamentis cum ecclesia aedificare coepit an. 1678, ipso in loco, quo antea delubrum calvinistarum extiterat; illis ad nobilitarem quamdam curiam se recipientibus. — Consummatum est aedificium 1680. quo anno praelaudatus C. Franciscus, Fratres nostros e domo saeculari, quam ipsis cum primo ad oppidum adventu Comes Paulus Eszterházy pro hospitio assignaverat, et quam successor in capitaneatu Franciscus, in commodam pro pluribus individuís capiendis, 1660. transformaverat residentiam. — In hunc neo-erectum Conventum solenniter introduxit; primumque hic

novus Conventus Guardianum salutavit : P. Petrum Selley.

Obit pius fundator Franciscus an. 1685. sepultus in crypta familiae Kis-Martonii. — Eius coniux Catharina Tököly quando et ubi fatis cesserit, non constat, cum post fata mariti ad alias nuptias transeundo Papa aliorum transiverit. — Anno 1747. die 24. Ianuar. exorto in vicina domo incendio, ecclesia cum toto Conventu conflagravit, defluerunt in turri campanae, et fornix sanctuarii corruit. — Post incendium eodem ipso anno, reparata fuit ecclesia cum Conventu, et totum aedificium imbricibus tectum, ut similibus periculis obviaretur; idque totum factum est, munificentia Excell. D. Com. Francisci II. Eszterházy, Iudicis Curiae regiae, Francisci I. fundatoris filii; — at quia prior Conventus admodum parvus, capiendis necessariis individuis insufficiens erat; hac occasione adjectus fuit a fundamento unus novus tractus 1764. consummatus, sumptibus Excell. D. Com. Caroli Eszterházy, Episcopi Agriensis.

Quoad oppidum Papa insuper notandum:

1. Quod facta haereticorum in oppido et circumvicinia ad fidem Catholicam conversione, nulli in oppido ministelli, minus oratoria extiterint. — Veram a Iosepho 2. libertatem nacti, an. 1783. e longinquo adcurrerunt utriusque sectae ministri cum sequacibus. — Et lutherani quidem cum initi sub ligneo oratorio, sua exercitia peragebant; tandem an. 1790. sat amplum e duris materialibus oratorium aedificarunt. — Calvinicolae autem an. 1784. amplum cum togatorum collegio oratorium aedificarunt.

2. Quod oppidum Papa, inclytæ familiae Schwartz-

berg, occasionem subministraverit ad fastigium honorum et plurimorum dominiorum; quod sequenti modo contigit. — Quoad praesidium papense hungaricus miles tenebat; Turca tentata pluries fortuna contra dictum fortalicium proficere non valebat. — At sub Rudolpho Caesare, praesidiariis hungaris anno 1600. extractis — Praesidium volonibus e diversis gentibus collectis et conductis, concreditum fuit; hi ob parcius soluta stipendia, arcem Turcis vendere moliebantur; iamque Michaelem Marós praefectum cum tota familia in carceres coniecerant; captivos Turcas vestibus provisos dimiserant, vexillumque Caesaris barbaris tradiderant. — Dum Schwartzenburgus ad domandam tantam praesumptionem Iaurino cum 9000 suorum adcurrit; rebelles desperata spe veniae, intempesta nocte arce erumpentes, castra invadunt, et caesis plurimis, Schwartzenburgum glande plurima perimunt; suffectus Schwartzenburgo Reder, qui rebelles subegit, quorum pars pugnae superstes, rota, palis, igne et aliis torturis perfidiam luit. — Successores Schwartzenburgi ob merita patris, multis opibus dotati, et honoribus cumulati Incly. familiam Schwartzenberg ad praesens conservant.

Anno 1809. cum initio Iulii venerunt Galli, peractoque in oppido cum nostris conflictu, certus famosus Generalis gallicus traiectus fuit, et quidem ex insidiis per gregarium quemdam e Singaro militem. — Et ideo Eugenius pro-rex Italiae in furorem actus, facultatem dedit suis per duas horas domos expilandi et ita mortem sui Generalis ulciscendi. — Conventum quidem expilatores Galli, loci sacri reverentia ducti non intrarunt. — Verum quia Conventus tunc temporis bonos equos habuit, hora 3. noctis venit oppidana deputatio cum aliquot officialibus Gallis postulans, ut auriga Conventus pro avchendo pro-rege Eugenio con-

festim iungat; — promissum, aurigam cum equis et bono honorario mox remittendum. — P. Guardianus postulato cessit, Eugenium ad Gönnyö develi curavit, sed amplius suos equos non vidit.

Ecclesia Conventus Papensis a temporibus Leopoldi M. fuit exclusive germanica, ut pote: pro praesidiariis militibus, et aliis Caesareis Officialibus aedificata. — Verum imminutis cum tempore germanis, auctisque numero hungaris, an. 1821. Rmus D. Ioannes Hornyik Vic. Gen. Capitularis, induxit ad ecclesiam nostram concionem hungaricam. — Anno 1822. sumtibus inclytae familiae Eszterházy ara maior marmorea curata est, cum cancellis ferreis sanctuarium praecludentibus. — Exercitium Viae S. Crucis, in omnibus ordinis nostri ecclesiis tempore sacrae Quadragesimae cum fidei populo asservari solitum, et ante annos 40. non sine moerore fidelium abrogatum, an. 1825. ad instantiam eorundem fidelium restitutum est. — Fratres huius Conventus spiritualia servitia domi forisque obeunt lingvis: hungarica et germanica. — Quibus praeest: A. V. P. **Adolphus Szakoltzay**, Concionator et Definitor emeritus, h. t. Guardianus.

XIV.

CONVENTUS SÜMEGHIENSIS

ad Visitantem B. V. Mariam.

Quoad arcem et oppidum Sümegh multi in errore versantur, credentes modernam arcem Sümegh fuisse olim Kupae sümeghiensium ducis sedem. — Nec mirum, qui errantes Authores legunt, ut in errorem inducantur, est naturale. — Mathias Bell, antiquissimorum Hungariae geographorum unus, in suo opere pag. 178. Comitatum Sümeghiensem describens; dicit: Simigium, tenuis, et si nomen quod regioni impertivit demeris, prorsus incelebris locus. — Francisci sodales eo Georgius Szécheny deduxerat, qui etiam paraeciam administrant. Arx tamen Sümeghia est in regione Veszprimiensi. — En! publicus Author, quot voces tot errores fundit; — Ad quos deponendos notandum: arcem Sümegh, olim Kupae ducis sedem, a qua totus Ducatus, nunc Comitatus dictus est Sümeghiensis (Hungaris Somogy) extitisse, et actu in ruinis existere in Comitatu Sümeghiensi, cuius decimas S. Stephanus dioecetano Episcopo Veszprimiensi contulerat. — Verum idem Sanctus Rex, superato Kupa sümeghiensium duce, votum quod ante bellum conceperat, implere volens; easdem decimas totius comitatus sümeghiensis Benedictinis de sacro

Monte Pannoniae, et in locum harum Episcopis Vesprimiensibus contulit in Comitatu Szaladiensi arcem Kurten cum ditione ad eam pertinente. — Quae arx cum oppido, eo quod loco decimarum sümeghiensium Episcopis Veszprimiensibus obtigerit; pro Kurten, Sümegh vocari coepit, et ita vocatur usque praesentem diem.

Non igitur in Sümegh Kupaiano a temporibus S. Stephani ruinato; sed in Kurten Szaladiensi, quod nunc ob adlatas causas Sümegh vocatur, quodque est oppidum haud ignobile, cum arce, amoena residentia Episcopali, domibus quam plurimis eleganter structis etc. — Georgius Széchény Episcopus Veszprimiensis an. 1652. claustrum erexit pro PP. Franciscanis Proae SS. Salvatoris, fors eo motivo ductus, quod Széchényi, ubi PP. Salvatoriani Conventum habent, primam lucem aspexerit. — Perstiterunt PP. Provinciae Salvatoris in hoc Conventu annis 37; at quia Conventus hic procul distabat a caeteris Salvatorianae Provinciae Conventibus; commodioris gubernii gratia, pro Conventu Pruszkensi utraque Provincia consentiente permutatus, et Provinciae S. Mariae ingremiatus est anno 1689. — Ecclesia huius Conventus per ipsum D. Fundatorem in honorem B. V. Mariae Elisabeth visitantis die 29. septem. 1654. consecrata est.

In loco Kurten, nunc Sümegh, duo perenni memoria digna censuerim; et quidem 1. ipsum immortalis memoriae fundatorem eppum Georgium Széchény, quem illis recte temporibus suscitavit Dominus, quibus monasteria, ecclesiae, xenodochia, et omnia pia Instituta, per turcas et rebelles haereticos excisa, sub suis ruderibus lugebant, pium Salvatorem expectantia. — Cui tanta largitate benedicebat Dominus, ut quo plus in pios fines erogaret,

eo plus haberet; praetermissis silentio aliis quam plurimis: quatuordecim Claustra religiosorum cum magnificis Ecclesiis partim e fundamentis, partim e ruderibus eduxit. — Utque quam plurimum pro bono utriusque reipublicae praestare posset; auxit D. Deus dies vitae eius; postquam successive dioeceses Quinque-Ecclesiensem, Veszprimiensem et Laurinensem felicissime gubernasset, et ubique immortalam sui memoriam reliquisset; dum an. aetatis 93. agaret, ad sedem A. E. Strigoniensis promotus, die 18. Febr. an. 1695. mortuus est, anno aetatis 103.

2. Memoratu digna est imago B. M. V. in Ecclesia huius Conventus existens: quaedam domina, Maria Sophia Berngober nata, Viennae Ferdinando de Feilheim nupta, ob putrefactam femoris carnem, et abinde secutam pedum enervationem clauda, propriis viribus gressum figere non valens, medicorum iudicio iam incurabilis declarata. — Vidit in somno statuam B. V. Mariae, cum indicio et monitu: Hanc statuam in Hungaria esse perquirendam, ad quam veniendo sanaretur; imo et situs ecclesiae in qua reperiretur, eidem mulieri in somno adumbratus fuit. — Evigilans mulier mox se itineri accinxit; lustratisque in Hungaria pluribus sacris B. V. Mariae aedibus, tandem anno 1699, mense Februar. Sümeghinum venit, et in ecclesia conventuali statuam per omnia suae praehabitaee visioni convenientem reperit; ad quam dum devotissime oraret, mox sensit suam putridam carnem reviviscere; sequenti die continuata oratione, sanitati plenarie restituta est. — Priusquam resanata mulier discessisset, Episcopum Veszprimiensem Paulum Széchény, tunc temporis in arce Sümegh residentem, pro osculo manus accessit, eique in persona mirabilem sui resanationem enarravit. — Contigit haec

stupenda sanatio die 6. Febr. an. 1699; — qua die annue recurrente, solennis memoria dicti Prodigii celebratur. — Nam plebs quae huic insolitae curationi intererat, stupendum hoc factum per totam peripheriam celerrime divulgavit, adeo quod singulis annis die 6. Febr. utpote: die primi miraculi, multae processiones ad ecclesiam Conventus Sümeghiensis concurrere soleant. — Et memoratam statuam: Salutem infirmorum nominent. — Aucto miraculi rumore, idem Praesul Paulus Széchény, frater fundatoris Georgii, ne cavillandi occasio remaneret, quamquam miraculum in praesentia nomerosi populi contigerit; vi sui officii in veritatem inquisivit, qua comprobata, subscripsit et sigillo suo munivit testimonium an. 1699. die 2. Iulii datum. — Originale in Archivo Provinciae conservatur.

Nec ulla de hac thaumaturga Imagine a parte regiminis quaestio mota fuit ante an. 1787. quo 2 Nov. Excel. Consilii Reg. L. Hgrici, sub N. 5821, intimato petebatur informatio de origine huius devotionis, et qualis solennitas sit, sic dicta: Primi Miraculi. — In sequelam intimati submissum est Excelso Consilio authenticum documentum factae per prae laudatum Praesulem super veritate primi sic dicti Miraculi inquisitionis et probationis; — nec amplius quidquam a parte cuiuscunque dicasterii, contra dictam Thaumaturgam obmotum fuit.

Munus parochiale hic loci, prout etiam in Rende et aliis finitimis locis obiverunt Fratres nostri ab an. 1673. usque an. 1760. — Episcopi Veszprimienses in arce Sümegh residentes, in maioribus festis, assistentibus Sacerdotibus Aulicis et Fratribus nostris in ecclesia nostra Pontificalia peragebat. — Tardius ob multa incommoda, arcem in elato monte sitam deserentes, e regione Conventus sat

amplam et commodam residentiam sibi struxerunt. — Caeterum praeattacto an. 1760. Martinus Biró Praesul dioecesanus, tota iam vicinia ad fidem catholicam conversa, aedificata nova parochiali ecclesia, secularem parochum instituit et introduxit. In crypta ecclesiae conventualis duo episcopi requiescunt: Paulus Hoffman et Stephanus Senyey, ex ordine equestri complures, praecaeteris Spect. D. Franciscus Oszterhuber, emeritus V. Com. et annis 50. syndicus Conventus, obiit 1835, 30. Mart. a. aet. 91.

Quamquam Sümeghinum in remota regni plaga prope ad Balatonem existat, non fuit tamen Gallis impervium; nam 12. Iunii 1809. Sümeghinum venientes Galli, non minores ac alibi fecerunt requisitiones, praefereuter in Conventu. — Post abitum Gallorum depositum fuit in Conv. eodem mense Iunio, magazinum Hung-Regium pro vestiendis tyronibus necessaria continens, pro quo plura cubacula evacuanda erant; inducta insuper pistoria militaris Conventum adeo coarctavit, ut pro religiosa Familia panis in oppido coqui debuerit; insuper ambitus adeo fuere frumento militum repleti, ut plane parietes in multis locis oneri cesserint. — Duravit hoc incommodum usque diem 11. Martii an. 1810.

Anno 1816. die 28. Ian. circa mediam noctem ortus est vehementissimus turbo, qui continuis tribus diebus et noctibus absque remissione grassabatur cum magno aedificiorum detrimento (ad Tybiscum autem cum millenorum hominum et pecorum iactura) huius turbinis vi, crux ferrea duos centenarios ponderans, e turri solida 1743. curata et cupro tecta corruit, cupulam inferiorem contrivit. — Quia vero hic casus praeter turbinem etiam ipsius turris nimiae altitudini tribuebatur, ideo 4. orgiis humilior turris

priori substituta est. — Habet ecclesia huius Conventus in turri bonae qualitatis horologium et insignem campanam; utrumque procurarunt: D. D. Balthasarus Kisfaludy, Franciscus Oszterhuber V-Comes Szaladiensis, et Ioan. Teglovics.

Anno 1818 Susanna Bárány, nobilis Andreae Rédey relicta vidua, praepotens in Köves-Kála (Szaladien. com.) domina, per suum confessarium P. Thadaeum Petrovics exorata, omnes aras reparari, et Ecclesiam per extensum eleganter pingi curavit. — Praest conventui: M. V. P. Severinus Gáhy, conc. em. h. t. Guardian.

XV.

CONVENTUS PESTIENSIS

ad S. Petrum de Alcantara.

Civitas Pestiensis, situs amaenitate et quaestus oportunitate nullo non tempore numerosos incolas alliciebat. — Fuisse eam iam ante cladem Tartaricam populosam et divitiis affluentem testatur Magister Rogerius, qui libro de clade tartarica scripto, Cap. 16 „Civitatem Pestiensem, magnam et ditissimam Theutonicorum Villam vocat.“ — Recedentibus Tartaris celerrime effloruit, et sicut copiosos cives, ita etiam copiosa claustra numeravit, quorum unum fuit Ordinis et Provinciae nostrae; at quando et per quem fundatum? nusquam comparet; illius antiquitatem probat authenticum originale documentum; videlicet: Frater Stephanus Minister huius Provinciae S. in praesentia F. Michaelis, Montensis (Budensis) F. Gerardi Pestiensis Guardiani etc. — F. Paulo Priori Provinciali ord. praedicatorum per Hungariam, patentes litteras cum sigillo Provinciae dependenti dedit, de quodam spatio terrae, largitate regni cesso, non ampliando. — Idibus augusti, an. 1288. — Antiquitatem dicti conventus nostri Pestiensis, et quidem ad S. Petrum de Alcantara, praeter documenta ordinis,

testantur etiam regiae litterae de an. 1526. tenoris sequentis:

Nos Ludovicus D. G. Hungariae, Bohemiae, Croatiae, Bosniae Rex etc. — Memoriae commendamus, et per praesentes recognoscimus; quod cum fideles nostri, R. Ladislaus de Macedonia Praepositus Quinqueecclesiensis, ac Generosus Petrus Bornemissa de kápolna, consilarii nostri, a nobis ad exigendas pecunias; vasaque aurea et argentea, ab universis regni Hungariae, Slavoniae ac Transylvaniae ecclesiis ac monasteriis, ex indulto SSmi D. Clementis Papae 7. pro expeditione contra Turcas colligenda deputati; — inter alia quae e claustro S. Petri Pestiensi, ordinis fratrum minorum levarunt, est sepulchrum argenteum B. Gerardi E. et M. 219. marcas ponderans. — Super quibus fratres praedicti ordinis assecuramus, quod ipsis terminata expeditione, e Trigesima nostra Poseniensi integre satisfaciemus. Datum Budae feria 5. ante festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae, an. 1526.

Post funestam cladem Mohacsiensem monasterium hoc totaliter annihilatum, nec vestigium sui reliquit. — Pulsis patria Turcis, fratres in locum annihilati et solo aequati monasterii, aliud struere volentes, ad Leopoldum M. Caes. et Regem recurrerunt, fundum pro erigendo novo monasterio humillime petentes, quem etiam impetrarunt, attestantibus hoc Litteris Civitatis Pestiensis; — sequentis tenoris:

Nos Iudex et Senatus L. R. Civitatis Pestiensis, memoriae commendamus praesentium vigore significantes. — Quod Egregius Samuel Eisserich, Civitatis nostrae senator coram personaliter constitutus, nomine et in personis RR. PP. Ordinis S. Francisci, Provinciae S. Mariae, hic in Civitate nostra existentium, qua syndicus produxerit certas, easque authenticas Litteras, super certo loco iisdem praelibatis religionis pro

aedificanda sibi ecclesia et monasterio in hac civitate nostra assignato, in perpetuum valituras, per condam sacratissimae Maiestatis Leopoldi consiliarium, ac incl. camerale inspectionis administratorem Illust. D. Baronem Stephanum a Werlein, ad speciale C. R. Maiestatis mandatum extradatas. — Vigore quarum praefatis religiosis, an. 1690, ad humilem Instantiam, et impetratam ad hoc Benig. resolutionem Caes. Regiam, idem D. Administrator, non procul a porta Agriensi, unam Moscheam turcicam ibidem circa plateas Dominorum et Agriensem ita vocitatas, prospicientem ac existentem, una cum adiacentibus antiquis ruinatis aedificiis ac spacio, — et quidem in facie ad Dominorum plateam, latitudinis 66; — in dorso aequae 50; — in longitudine vero ad plateam dictam Agriensem, 78; — penes hortum aequae Kôlbacherianum 79. orgiarum habentia, non solum assignasset ac tradidisset ita, quod ibidem ecclesiam ac monasterium idem fratres religiosi sine ullo impedimento aedificare et possidere valeant. — Qua propter nos etiam visis atque repertis in forma authentica iisdem litteris Assignatoriis, ad Instantiam praenominati D. Syndici, non solum super assignato eatenus loco et spacio nostras Testimoniales pro futura eiusdem Conventus firma ac inviolabili securitate extradare annuimus. — Verum et in maiorem earum fidem, sigillo Civitatis consveto, eas hisce munimus et corroboramus. — Sig. Pestini die 8. augusti, anno Domini 1715.

Habito fundo, fratres nostri aedificando conventui et ecclesiae manus admoverunt, et suffragio DD. Benefactorum, quorum praecipuus laudatur Illust. D. Michael Dvornikovits Eppus Vaciensis, Deo favente totum opus consummarunt.

Hic conventus plurimum detrimenti passus est, 1784.

decreto quippe Iosephi II. Caesaris, pluribus conventibus cassatis, Pestiensis quidem confirmatus, sed magna parte truncatus fuit; — partibus eius ad usus universitatis Pestiensis occupatis; — in specie hortus per amplus, cuius fructus conventui centenos flor. inferebat, conversus est in hortum botanicum universitatis; — adempta est etiam area cum stabulis et aliis minoribus aedificiis, pro usibus hortulani botanici. — Item e conventus aedificio duo integri tractus, quorum unus versus plateam pro bibliotheca universitatis accommodatus; — alter versus meridiem, eorum quibus bibliothecae cura incumbit, habitationi destinatus. — Remansit igitur pro habitaculo religiosorum unicus ad ortum tractus, cum area perangusta.

Ad multas dein instantias Sua Maiestas, C. R. an. 1807. titulo bonificationis pro horto semel pro semper 7000 flor. resolvit, — quae summa facta devaluatione reducta est ad 1400 florenos; conventus autem hortum universitas an. 1812. via licitationis pro struendis domibus vendidit 105,029 flor. 10 xr. — adtestante officio funduali Civitatis Pestiensis, dd. 19. april. an. 1847.

Notandum: quo ad partem conventus pro bibliotheca universitatis adplicitam, traditionales litterae sic sonant: Tantum ad interim cessus est locus pro bibliotheca universitatis, quoad de loco aptiore prospectum fuerit; — et illud: interim, iam 85. annis durat: — De habitatione autem officiantium, caeterorumque servorum in ambitu conventus capienda, in nullo documento legitur.

Superiores Ordinis inde ab an. 1784. non interrupto conamine instabant pro restitutione avulsarum a conventu partium; signanter: an. 1807. et an. 1814. sed semper absque effectu; donec tandem iustitiae amantissimus Fran-

ciscus Iosephus Imp. et Hungariae Rex, 30. Maii, an. 1855. benigne suo rescripto determinasset, ut aedificium pro schola geometrica universitatis usuatum, et de iure ad claustrum pertinens, indilate eidem claustro restituatur, quod etiam 11. Iulii eiusdem anni restitutum est; — et quamvis 2. Nov. eiusdem anni nexu Caes-Regiae determinationis, omnes partes ad conventum pertinentes, et adusque per inclytam universitatem possessae, utpote: area cum omnibus aedificiis, in tali statu et qualitate, in quali an. 1784. extiterant, reddi jubebantur; non recepit conventus plus an. 1857. quam duas tertias maioris arcae, et medietatem humilium aedificiorum, in dicta area existentium, per custodes, diurnistas et servos universitatis inhabitatorum. — Fuit attamen promissum, quod in nexu Altissimae Determinationis, conventus brevi etiam locum bibliothecae cum residuis partibus recepturus sit. — Faxint Superi! ut praepotens universitas hungarica post tam longum sub tectis alienis gratuitum inquilinatum, suam bibliothecam ad sua recipiat.

Interim quid mirabilius sub coelo? dum divi Francisci sodales a potentibus premuntur, ab Omnipotente consolantur. — Notum est Theologis, acerrimam fuisse pugnam inter Franciscanos et Dominicanos, quorum illi immaculatam conceptionem B. V. Mariae defendebant, posteriores vero impugnabant. — Cum initio saeculi 14. in urbe Parisiensi solennis super hac Thesi disputatio instituta fuit, praesentibus Legatis Pontificis inter Franciscanos et Dominicanos. — Franciscani evocarunt Oxonio ex Anglia P. Ioannem Duns, natione scotum, qui determinata die, ad locum pro disputatione constitutum procedens, in foro publico coram statua B. V. Mariae flexit et oravit, his

verbis: „Dignare me laudare Te, virgo sacrata; da mihi virtutem contra hostes tuos“ et protinus statua caput inclinavit. — Dumque ad locum constitutum venisset, e suggestu Thesim de immaculata B. V. Mariae conceptione contra 200 Dominicanos, solus tanta laude et applausu defendit, ut deinceps Doctor Subtilis vocaretur. — Post hoc totus Ordo Franciscanicus per orbem terrarum diffusus B. V. Mariam sine labe originali conceptam, qua Patronam suam, sub hoc mysterio colere cepit. — Pontifices, Episcopi, imo et concilia, pro ea qua erga Dei Matrem pietate ferebantur, nihil obmoverunt. — Imo Sixtus 4. pontifex e humili familia fratrum nostrorum assumtus, editis an. 1476. et an. 1483. Bullis, omnibus Deiparae conceptionem devote celebrantibus, Indulgentias concessit, utramque tamen doctrinam licitam declaravit. — Sicque factum est, ut prius quam praefata Thesis per ecclesiam soluta fuisset, pietate cleri et populi festum Conceptionis B. V. Mariae in universa Ecclesia Catholica die 8. Decembris celebraretur.

Anno tandem 1854. die 8. dec. ipso Beatissimae Matris Dei Immaculatae Conceptionis festo, piissimus pontifex Pius 9. totius orbis catholici sensum vocem Dei esse advertens. — Doctrinam, quae tenet Beatissimam V. Mariam, in primo instanti suae conceptionis, fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu, salvatoris generis humani, ab omni originalis culpa labe, praeservatam immunem; esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Sicque facto hoc eadem doctrina inter Fidei Catholicae Dogmata, solenni ritu est relata.

Hoc dogmate per Hungariam publicato, die 5. Maii an 1855. — Inclyta Facultas Theologica regiae scientiarum

universitatis, obtulit Ordini nostro donum memoriale, argenteum calicem, in gratitudinem pro defenso, per Ordinem S. Francisci, dogmate immaculatae B. Mariae Virginis cum sequenti declaratione oblatoria.

Venerabilis conventus Pestiensis!

Orbem catholicum medio, ut dici amat aevo, velut splendidum quoddam Sidus copiosa irradians luce Venerabilis Ordo Seraphicus eo quoque titulo optime est de Ecclesia meritus; quod immaculatam B. Virginis Conceptionem, thesaurum eius pretiosissimum contra potentes non minus ac eruditos adversarios, maiore adhuc eruditione, et quidem prosperrimo effectu defenderit.

Inclyta Facultas Pestiensis Theologica, speciale videt providentiae divinae in eo consilium, recte illis rerum adiunctis suscitatum fuisse S. Francisci ordinem, dum eo ad tuendam doctrinam suam de immaculata maxime indigebat.

Merita maiorum posteris quidem imitationis legem imponunt; sed et honoris ac nominis gloriam transmittunt. — Praefata sacra Facultas honorem hunc et merita totius religiosissimae S. Francisci Seraphici per universum orbem dispersae Familiae, hodie dum immaculatae Conceptionis dogmatica decisio in Ecclesia Hungarica annunciat, publico quodam documento palam testari cupiens: ecclesiae Ven. Conventus Pestiensis calicem argenteum cum patena offerendum decrevit. — Exile quidem xenium, sed de cordibus Venerabilem Ordinem Seraphicum, veluti laborum in vinea dominica socium solertissimum, pondus vere diei et aestus portantem; — amore pariter Seraphico diligentibus, et in perpetuum dilecturis procedens. — Et ideo, dum e dispositione

laudatae facultatis calicem supra memoratum praesentibus transponendi honorem haberem ut omen nomini respondeat, id invicem oro, ut me cum tota Facultate corde seraphico complecti velint.

Qui in reliquo expertis affectibus commendatus, distincto cum cultu persisto. — Pestini die 5. Maii 1855.

Venerabilis conventus.

Obsequentissimus servus et frater in Christo **Franciscus Lopussny** SS. Theol. Doctor, et Facultatis Theologicae Decanus.

In perpetuam rei memoriam

anno 1855. Status Facultatis Theologicae Pestiensis.

D. Ioannes Szabo SS. Theol. Doctor, stud. theol. director, facul. senior, proto-notarius apost. stud. bibl. v. f. professor.

D. Franciscus Lopussny, SS. Theol. Doctor, facul. theol. decanus, theol. dogm. professor, secundarius pro-senior.

D. Samuel Márkfy, O. S. B. Theol. Doctor, primus pro-senior, studii bibl. n. f. professor.

D. Aloisius Gryneus, Canon. Szatmár. SS. T. Doctor, theol. pastor. professor.

D. Ioannes Zalka, Theol. Doctor suae Sanct. capel. a Secr. hist. ecclesiae prof.

D. Ioannes Ruzsicska, O. S. B. Th. Doctor, LL. OO. et Iuris Canon prof.

D. Georgius Schopper Phil. et Theol. Doctor, th. fund. prof. facul. notar.

Gratias retulit Conventus Pestiensis incolytæ Facultati Theologicae pro sacro xenio, die 7. Maii 1855 hocce tenoro :

Inclyta Facultas Theologica.

Quae honorabilis ille legis doctor Gamaliel sapienter non minus ac prophetice de perpetua operum Dei duratione ac aeternarum veritatum triumpho aiebat dicendo: „si (consilium hoc aut opus) ex Deo est, non potestis dissolvere illud“ Act. V. 39. eadem ad doctrinam immaculatae conceptionis B. M. V. referri quis dubitabit? Ad evincendam huius doctrinae veritatem Deus omni saeculo suscitavit viros Spiritu S. plenos; qui scrutantes scripturas, et pervolventes traditiones Patrum, doctis sermonibus mundum veritatis tum indigum et sitientem erudiverunt; quo in labore doctas universitates faciem praetulisse vel annales Parisienses et Oxfordienses testantur, merita autem earum in libro vitae scripta esse, firmiter credimus: antiquis, nunquam tamen obliterandis meritis, novum superaddidit inclytae universitatis Pestiensis sacra Facultas Theologica, dum datis ad conventum nostrum Ordinis S. Francisci die 5. Maii. a. e. litteris, una calicem argenteum pro solennitate immaculatae Conceptionis B. M. Virginis, in recognitionem defensionis omni tempore a Patribus nostris susceptae, in obiecto veritatis immaculatam B. Mariae Virg. Conceptionem concernentis, tanquam coronam pugnantibus debitam, liberaliter aeque ac pie offert. Nos, praementionati Conventus Fratres inclytae Facultatis pium hoc memoriale sacra cum pietate ac cordis exultatione transsummentes, nomine Provinciae nostrae Marianae, item nomine totius Ordinis S. Francisci, gratias quas possumus maximas referimus, ea cum declaratione, quod, quo aestimabilius quo sanctius est memoriale isthoc, eo humiliori spiritu exorabimus Patrem Coelestem, ut acceptabile sit nostrum sacrificium, quod in

honorem et laudem B. M. Virginis immaculatae, et pro perpetuo felicique statu inclytæ ac sacrae Facultatis Theologicae in praesenti calice offerre non cessabimus, donec Provincia nostra, et Ordo S. Francisci perstiterit. — Qui in reliquo omni cum venerationis cultu sumus. Pestini die 7. Maii 1855.

Inclytæ ac sacrae Facultatis Theologicae

humillimi in Christo servi:

P. Agapins Dank, Guardianus.

P. Cyriacus Piry, Definitior.

Sequitur renovatio ecclesiae conventus, et incipit structura magnificae turris eiusdem ecclesiae, anno 1858.

P. Agapius Dank Guardianus Pestiensis, gratitudine erga Deum, qui in oppugnatione arcis Budensis, dum praesidarii dictae arcis innumeris ignitis globis urbem Pestiensem velut e vindicta impeterent, ecclesiam ac conventum ab incendio et globorum assultu immunem servavit, ductus; domum eiusdem clementissimi Dei, conquisitis benefactorum symbolis ad splendorem evexit. — Sed quia turris humilis et satis squallida nitori ecclesiae non correspondebat, — memoratus meritissimus Guardianus praealtam turrim e lapidibus quadris, quatuor lapideis pyramidibus decoratam, sumtus ad 16,000 flor. requirentem benefactorum subsidis pie ac promte concurrentibus aedificavit, cui die 13. Nov. 1862. crux cum solennitate maxima, apposita fuit.

Interim campana maior 18 centenariorum rupta, refundi debuit; refusa et per Emin. Card. Ioannem Scitovszky benedicta, die 12. Maii, an. 1866 post prandium in praesentia numerosi populi attracta est. — Inscriptio eius est sequens: Fusa sum 1738, refusa 1866 sub Pio 9. Pontifice; regnante: Francisco Iosepho I. vivente: Emin.

Card. Ioanne Scitovszky, sub Guard. P. Agapii Dank —
 per Franc. Walsee. — In inferiori eius peripheria, sequens
 Chronosticon legitur: GLoria et LaVs sIt VIrGInI CapVt
 serpentIs, saLVtIs nostrae CaVsa ConterentI, sItqVe tIbI
 honor o Beate Petre, De aLCantara qVI pLenVs VICtorIIs
 sVper DlaboLo es — Administrat conventus Pestiensis pa-
 rochiam in suburbio S. Francisci. — Munia spiritualia
 obit, lingvis: hung. germ. slav. — Eius Guardianus h. t.
 est: A. R. P. **Agapius Dank**, Pater Proae. ut supra.

XVI.

CONVENTUS ANDOCSIENSIS

ad B. V. Mariam in coelos Assumptam, in Dioeces. Veszprimiensi, Comitatu Sümeghiensi situatus.

Andocs villa antiquissima. — Extitit olim in illa ecclesia cum sacristia e lapidibus quadris vetusto opere structa. — Dum Turca totam circum iacentem regionem possedisset; eo indulgente duo Patres missionarii e Soc. Iesu illuc venientes, invenerunt in ara maiori statuam B. V. Mariae, inter statuas sanctarum virginum Catharinae et Dorotheae; ibidemque divina peragentes, vicino populo catholico occulte sacramenta administrarunt. — Eiectis sub Leopoldo M. turcis, Patres societatis Iesu e vili hocce loco V. Eccles rediverunt. — Mansit taliter ecclesiola haec ab an. 1686. usque an. 1716. absque omni curato.

In hac ecclesiola mirabilis est statua B. V. Mariae, ad quam multi quaesitam consolationem invenerunt. — Multis multa perhibentibus, sufficiat historicam veritatem commemorare; quod Turcae licet omnes quaquaversum Ecclesias demoliverint; ab hac Andocsiensi violanda abstinuerint; nec per calvinistas violare admiserint; nec processiones catholicorum, illuc a longinquo venire solitas impediverint; sed haec uberius pleniorique fide leguntur in

collationalibus ipsius D. Fundatoris Eppi. Veszprimiensis, quarum tenor est:

Nos Otto Ioannes Baptista Dei et Apost. sedis Gratia Episcopus Veszprimiensis, e S. R. Imp. comitibus a Volkra etc.

Hanc paginam lecturis Salutem in omnium Salvatore! Indispensabilis existimavimus obligationis esse, ut ubi Deus per singularia sua signa demonstrat, aliquo se in loco honorari velle; eundem locum totis viribus, e pastoralis Nostrae sollicitudinis incumbentia adaptare niteremur, ut misericors Deus, suarum gratiarum profluvium, in Nos abundantissime derivare dignaretur, maxime ubi per magnam humani generis Advocatam, dilectissimam sui Filii Genitricem Mariam, desiderosam suam in Nos profundendi gratias infinitas voluntatem singulariter designat; qui nos omnia vult habere per Mariam; — Respicentes itaque ecclesiam B. V. Mariae in Andocs, pagi Nostri episcopalis in Com. Sümeghiensitam; ubi sanctuarium iuxta antiquam incolarum relationem, nostramque experientiam, sine fundamento subsistere videtur, ab Angelis uti refertur eo delatum, ubi et cantus Angelici de nocte auditi, et luminaria visa commemorantur. — Qui locus in tanta apud turcas etiam veneratione fuit, ut processiones etiam e longinquissimis eo venientes partibus non inhibuerint. — Eandem ecclesiolam alicui Ordini Religioso concedere et donare intendimus, qui continuo cultu Divino, precibus et sacrificiis, insuper pro tempore habita cura animarum, omnipotentem exorarent Deum; ut nostri, et commissi nobis gregis, totiusque misereatur Hungariae. — Nos igitur considerantes S. Francisci Seraphici Ordinis, singularem in promovendo cultu Divino assiduitatem, in asserendo immaculatae Conceptae Virginis honore diligentiam, in

procuranda animarum salute vigilantiam ; eandem ecclesiam, una cum certa domo, ubi nunc residentiam habent, donare, iis conferre, et pro aedificando circa ecclesiam Conventu licentiam dare decrevimus ; hoc per expressum stipulato, ut omnibus diebus Dominicis et Festis, sabbathis et vigiliis B. M. Virginis, Rosarium eiusdem magnae Matris dicatur ; omni possibili studio incrementum devotionis B. M. V. quaeratur, et quibusvis devotionis exemplis, circum vicini populi, ad hunc a Deo electum, multisque signis decoratum locum alliciantur. — Harum itaque Litterarum vigore, eandem ecclesiam ad Nos tanquam episcopum et dominum terrestrem spectantem, PP. Ordinis S. Francisci, Provinciae S. Mariae damus, donamus, ac conferimus ; ita tamen , ut Rosarium, prout dictum est, indispensabiliter orare sint obligati ; et quamdiu parochiam administraverint, Episcopalibus sanctionibus et decretis sint adstricti. — In quorum fidem praesentes has sigilli maioris appositione, et manus propriae subscriptione roboratas dedimus Litteras. — In aedibus Residentiae Nostrae Veszprimiensis. die 1. mensis Maji. an. 1719.

Contulit hic D. Fundator in spatioso illo pro tunc deserto loco fundum, pro Conventu, horto, prato et agro circiter 30. iugerorum, quo habito, Fratres nostri patrocinate eodem D. Episcopo, et Ven. Capitulo Veszprimensi, aedificarunt spatiosum Conventum et amplam ecclesiam, antiqua ecclesia, in qua prodigiosa Imago B. V. Mariae colitur pro sanctuario deserviente. — Novam hanc Ecclesiam precibus P. Feliciani Balkó, p. t. Guardiani, exoratus Excell. D. Martinus Biró de Padány, Eppus Veszprim. solenni ritu consecravit an. 1748. et B. V. in Coelos Assumptae dedicavit.

At quia in deserto Andocs vix aliquot domus exi-

stentes, locum illum a praedonibus tunc temporis in illa peripheria copiosis tutum reddere nequiverant; pluribus supplicationibus instabant Fratres, pro deserti loci Andocs impopulatione, detulit iustis votis Fratrum die 30. Iulii an. 1723. Comes Emericus Eszterházy Eppus. Veszprim. qui honestae conditionis, catholicae religionis, et bonae vitae personis, nobiles, militaris conditionis officialibus, et opificibus, sub faventissimis conditionibus, erga vilissimum censum, fundos pro domibus, hortis, pratis et agris, contulit.

Impopulato sensim loco Andocs, Fratres nostri etiam de praesidio sanitatis in hoc quasi novo mundo solliciti erant; priusquam in Inely. Cottu. medicus ordinarius et apotheca extitisset; Conventus Andocsiensis provisus erat apotheca, et Fratre medico; quapropter vicini Andocsino terrestres domini cum toto populo pro pharmacis ad apothecam nostram andocsiensem concurrere, Fratrisque Lucae, felicissimi in curandis infirmitatibus medici opera uti solebant. — Post multos annos institutae in pluribus locis apothecae, pluribusque medicis introductis, factum est; ut ad plures horum invidia duce, ac supremo Comite favente formatas querimonias, Excelsum Consilium die 15. Nov. an. 1796 apothecas in Conventibus quoad usum extraneorum prohibuerit; ergo et Andocsini cessavit apothecae usus quoad extraneos. — Tardius etiam quoad domesticos, nam Provincia mortuo Fratre Luca, amplius artis medicae peritum individuum non habuit.

Resident porro in hocce Andocsiensi loco Fratres nostri ab an. 1716. ingenti cum animarum, praesertim ad fidem catholicam conversarum reportato fructu; — in hac eadem terra tot annis ditioni Turcae subiecta, cuique

religionem quae libuerat prosequi, ac sive deserere sive amplecti licuerat; nec defuere perduelles, aequae ab avita pietate degeneres Hungari calvinistae et lutherani, qui turcicae potius quam catholicae potestati adhaerentes, eliminatis catholicis sectam suam ampliari studerent; dum interim catholici animarum curatores longe exularent. Numerus quidem eorum, quos Fratres nostri, a tempore incolatus sui ad orthodoxam fidem converterunt, initus non est; nam Fratres, non conversos numerare, sed quam plurimos ecclesiae Dei adnumerare satagebant; contenti, sua et conversorum nomina scripta esse in Coelis. — Sufficit, quod regio, olim calvino addicta, modo Deo favente ad gremium S. Matris Ecclesiae Catholicae pertineat. — Concursus fidelium ad hanc ecclesiam peregrinationis et voti causa confluentium, etiam nunc perdurat constanter; quibus Fratres spiritualia servitia non minori ac antea zelo praestant. — Administrat hic Conventus loci parochiam, cui actu praest. A. V. P. **Ladislaus Balko**, Guardianus et Definitor Provinciae.

XVII.

CONVENTUS S. LADISLAI.

Vetustissima B. V. Mariae dicata aedicula in territorio Hetes et Sándorháza Comitatu Szaladiensis, Dioecesi Veszprimiensi meras inter paludes et lacunas sita, quondam teste immemoriali traditione, a S. Ladislao Rege aedificata fuit; unde etiam appellationem ab eodem Sancto Rege obtinuit — In quo haec aedicula populi concursu frequentabatur, imo ipsi turcae in suis necessitatibus semet ad hanc aediculam convertebant. — Sic dum turca vicinum praesidium Kanizsa possideret; turcicus ibidem residens Pascha gravissime aegrotans, atque plures variis infirmitatibus detentos, ad hanc S. Ladislai aediculam sanari intelligens, captivum quemdam suum religione christiano-catholicum, permutato obside, horsum (ut devote suum oraret Deum) expedit; promissa ei absque lytro libertate, si convalesceret. — Pactum effectu non caruit; nam ubi christianus captivus instanter hocce in loco Deum, Beatam Virginem, ac S. Ladislaum, pro sanitate Paschae suae exinde securura libertate deprecaretur; mox Pascha turcicus convaluit, pactatam christiano captivo fidem exolvit, et ipsemet Christianus hoc in loco factus Baptisma recepit, in cuius rei

gestae testimonium, hodie dum eiusdem Paschae scutum muro appensum visitur.

Quomodo huc loci cuius autoritate et favore Fratres nostri venerint, intelligitur e Litteris C. R. Maiestatis.

Nos Leopoldus D. G. Electus Rom. Imp. Germ. Hung. Bohemiae Rex etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes etc. — Quod pro parte, et in personis honorabilium et religiosorum, P. Provincialis, caeterorumque Fratrum Ord. S. Francisci Seraphici, Provinciae S. Mariae in Hungaria. — Exhibitae sint Nobis et praesentatae certae quaedam Fidelis Nostri, Rmni in Christo Patris Pauli Széchény, Colocensis A. Eppi, Episcopatus Veszprimiensis Administratoris etc. Litterae Collationales, an. adhuc 1694. die 29. septemb. Ujváriini emanatae, syngrafatae et sigillo eiusdem proprio roboratae, quibus mediantibus idem Paulus Széchény, qua Eppus Veszprimiensis, memoratis PP. Ord. S. Francisci, administrationem Capellae B. V. Mariae, a piissimae condam memoriae praedecessore Nostro (ut fertur) S. Ladislao extractae, et vulgo Sz. László nuncupatae, inque Dioecesi Veszprimiensi, et Comitatu Szaladiensi existentis, ad salutarem populorum eo zelantissime confluentium profectum, et simul B. V. Mariae, sanctique Ladislai cultum uberrime promovendum, modis, formis et conditionibus ibidem uberius expressis, dedisse, contulisse et concessisse dignoscebatur; tenoris infrascripti. — Supplicatum itaque extitit Maiestati Nostrae, nominibus et in personis praefatorum P. Provincialis, caeterorumque Patrum et Fratrum praenominati Ord. S. Francisci, debita cum Instantia humillime, quatenus Nos praecattas ante nominati Pauli Szecheny Litteras collationales et consensuales, omniaque et singula in iis contenta, ratas, gratas et acceptas habere; praesentibus Litteris Nostris Privilegialibus

inseri, et inscribi facientes, approbare, roborare, ratificare, perpetuo valituras gratiose confirmare dignemur. — Quorum quidem Litterarum collationalium tenor sequitur in hunc modum:

Nos Paulus Széchény, Episcopus Veszprimiensis, Locique eiusdem Sup. Comes etc. — Memoriae commendamus, quod ex quo in Capella B. V. Mariae a pientissimae condam memoriae S. Ladislao H. R. (ut fertur extracta, et vulgo Sz. László vocata, in Dioecesi nostra Veszprimiensi ac Comitatu Szaladiensis existens habita, copiosissima recentissimae memoriae miracula, ad ampliorem eiusdem Capellae Beatissimae Patronae Tutelarum cultum provocantia, e certiori populorum, eo quolibet novilunio copiose confluentium, votaue sua non sine evidenti, et uberrima Divinarum Gratiarum participatione exolventium, inaudiverimus attestazione. Ad salutarem itaque eorumdem populorum eo zelosissime confluentium progressum, Beatissimaeque semper Virginis Mariae, nec non S. Ladislai Regis uberiosem cultum ibidem promovendum; administratiorem dictae Capellae RR. PP. Ord. S. Francisci, Provinciae S. Mariae conferendam et concedendam esse duximus: dantes iisdem facultatem plenariam Divina ibidem officia peragendi, sacra legendi, evangelium praedicandi, confessiones excipiendi, caeteraque pia quaevis ministeria, populorum eo confluentium salutarem devotionem promoventia exercendi. — Imo conferimus, et concedimus vigore praesentium salvo tamen iure alieno. — Datum Ujvárini die 29. septembris anno Domini 1694.

Paulus Széchény Eppus. Veszprim.

Nos itaque humillima huiusmodi supplicatione dicti P. Provincialis, Maiestati Nostrae porrecta, exaudita clementer et admissa, praedeclaramus antelati Pauli Széchény qua Eppi

Veszprimiensis et Dioecesani litteras, non abrasas, non cancellatas, nequa in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspitione carentes, praesentibus Litteris Nostris Privilegialibus, de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali inscriptas, et insertas, quoad omnes earum continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus caedem rite ac legitime existunt emanatae, viribusque earumdem veritas sufragatur; ratas, gratas, et acceptas habendo, approbavimus, roboravimus, et ratificavimus; ac pro ante recensito Ord. S. Francisci, Provinciae S. Mariae in Hungaria perpetuo valituras Gratiose confirmavimus. — Datum per manus fidelis Nostri, Nobis dilecti Rdi. Ladislai Mattyasovszky Eppi. Nistriensis, aulae Nostrae Cancellarii, in Castro Nostro Ebersdorf die 17. Septemb. an. 1700.

Leopoldus.

Habita collatione, erecta fuit primitus vilis ac male materiata casa pro habitatione Fratrum, ubi inter meras paludes, ranis ac serpentibus exuberantes, diutinam patientiam habere coacti fuerunt. — An. 1714. fundamenta pro Ecclesia et Conventu iacta fuere, quae dein lente, ac e meris eleemosynis consummata fuit, an. 1724. — Ita, ut vetus illud sacellum a tergo huius novae ecclesiae integrum remaneret. — Consecrata fuit haec Ecclesia per Excell. D. Adamum Acsady Ep. Veszprim. an. 1734. Dominica SS. Trinitatis, eo anno in diem 20. Iunii incidente, dedicata honoribus S. Ladislai Reg. sedente in cathedra Petri Clemente 12. regnante Carolo 3. sub Provincialatu P. Antonii Posony; anno quo ecclesia ad apicem perducta fuit, etiam Conventus aedificari coepit, ac anno tandem 1736. consummatus; — cui accessit locus trans ponticulum opportunus, ubi Calvaria, seu sacellum Mysteria Passionis Dominicae

repraesentans, pro fovenda fidelium isthuc convolantium devotione extracta habetur. — Parochiae administrationem in vico utroque vicino Hetés et Sándorháza contulerat Conventui Illust. D. Comes Ioannes Bapt. a Volkra Eppus Veszp. 1720.

Societas stratiferrei, accepta a loco altissimo, Sopronio usque Kanizsam ducendi strati-ferrei facultate, an. 1864. die 24. Maii, instituit dimensionem in fundo Conventus, pro dicto strato ferreo per angustam vallem Sz. László, immediate penes Conventum ducendo, qua quidem dimensione occupavit praememorata societas e fundo Conventus in circa 2624. Org. quadratas, pro quibus solvit 960. flor. austriacos.

Anno 1865. praefata societas numerosis hominibus adductis stratum ferreum struere coepit, sed nec habuit facile duriolem ac sumtuosiolem laborem, quam in angusta per extensum paludosa valle S. Ladislai; — incussis per extensum palis, iisque glarea et sabulo oppletis, aggerem ad iustam altitudinem levavit; detractis aquis, planatis declivitatibus et innumeris fossis, prioris paludosae localitatis amplius nec vestigium apparet. — Magnum sane beneficium structo hocce strato ferreo popularibus accessit per aeris mutationem, longe iam nunc salubrior aura perflat vallem siccam ac planatam, quae antea paludibus plena, nocivis exhalationibus fomentum fuit variorum morborum. Educat hic Conventus novitios pro clero Provinciae. — Eius providus Guardianus h. t. est M. V. P. **Lucas Marton**, concion. emeritus.

XVIII.

CONVENTUS VESZPRIMIENSIS

ad S. Stephanum Proto-Regem Hungariae Apostolicum.
in Diocesi et Comitatu eiusdem nominis situatus.

Veszprimium, sedes Episcopalis, olim a S. Stephano, sive ut alii chronologi opinantur, iam antea a Geiza duce S. Stephani progenitore an. 983. fundata; post cladem Mohacsiensem remoto tam Episcopo quam Canonicorum collegio, longo tempore ottomanicae potentiae parebat; profligato tandem per Christianos Turca, restituta quidem fuit Sedes Episcopalis; at exulante adhuc Capitulo: Praesidium finitimum seu confinariarium contra Turcas persistebat. — Existente adhuc in manibus Turcarum Veszprimio Fratres nostri intrarunt; quando, et qualiter, abunde intelligitur e sequentibus:

Nos Adamus Acsady de eadem, Episcopus Veszprim. Locique et Comitatus eiusdem perpetuus sup. Comes; Abbas S. Martini de Vaska, Cath. Eccl. Iaurinensi Canonicus etc.

Cum prout intelleximus, religiosi PP. Franciscani an. 1625. Veszprimium introissent, et benigne suscepti fuissent; penes residentiam episcopalem intrando, laevam versus ad antiqui Lectoratus aedem, ad fontem, exiguum in angulo tuguriolum aquisiverunt et obtinuerunt. — Exinde qua missio-

narii ad reducendos calvinistas perutilem operam navantes ; — at quia tugurium hoc pro habitaculo religiosorum nimis angustum ac incommodum erat. — Illust. D. Stephanus Sennyey de Kis-Senye Episc. Veszprim. e regione maioris portae Cath. Ecclesiae pro iisdem Fratribus Minoribus, a Generoso D. Petro Gorup. militiae Hung. duce, emit domum cum area et hortulo ; — ad quam domum Gorupianam idem D. Episcopus, tanquam Seraphicae religionis residentiam, auctoritate sua episcopali, praefatos Fratres Minores, an. 1681. solenniter introduxit, ac pro habitatione perpetua, cum Litterariis Instrumentis, eandem domum Gorupianam, praefatis Fratribus donavit ac consignavit. — Anno dein 1686. unam adhuc domum cum parvula area aquisiverunt, quae domus eodem anno in Capellam pro peragendis ibidem Divinis Obsequiis transformata est. — Haec autem Residentia primitus quidem Fratibus Provinciae Salvatorianae collata, postmodum per R. P. Commissarium Generalem Antonium Lazary, accedente clementissimo Leopoldi Imp. consensu, ac totius capituli Generalis Romae an. 1691. celebrati confirmatione, per modum commutationis pro conventu Beczkoviensi, Provinciae Marianae adjudicata, et per eam occupata fuit. — Anno 1705. infelicis Rakótzianae revolutionis tempore, una cum Arce in cineres redacta ; — ac tandem an. 1722. per Rssimum D. Michaellem Zadory, Cath. Eccl. Veszprim. canonicum, ac Sede vacante Vicarium, pro formali Conventu erigendo primus lapis positus est, — uti etiam 1723. pro ecclesia per Rmum. D. Emericum Kormendy canonicum. — — Iam vero Conventu et ecclesia totaliter paratis, a Fratribus memorati Ordinis et Provinciae humiliter exorati, quatenus residentiam cum ecclesia pro formali conventu haberi consentiremus. Nos quantum in nobis, auctoritate nostra

episcopali non modo consentimus; sed visa et perspecta spirituali utilitate, quam praedicti religiosi Patres obsequiis suis spiritualibus, in vinea domini dietim afferunt, eosdem etiam cum suo conventu, in Tutelam et Patrocinium pro amore Dei libenter recipimus. — In quorum fidem has nostras Patentales, sigillo et subscriptione propriae manus roboratas, dedimus. — Veszprimii in aedibus residentiae nostrae episcopalis, an. 1730. die 10. Maii.

Adamus Ácsády.

Interim Conventus hic exiguam habuit durabilitatem, nimium angustus et tenebrosus, nec debite materiatus, quasi ad interim structus, cum nives et imbres sustinendo non esset; postquam Excell. D. Ignatius Koller Ep. Veszp. gratiose admisisset, ut novus conventus ultra moenia ad crepidinem montis produci queat, ingenti quidem labore, nec minori arte exurrexit modernus conventus, firmus, lucidus et spatiosus, patrocinante Excell. D. Praesule, Venerabili Capitulo, et aliis Benefactoribus an. 1775.

Plurimum hic loci contulere Fratres nostri ab ingressu suo in conversionem haereticorum praecipue calvinistarum quibus tota quanta vicinia scatebat adeo, ut ecclesiasticis viris ne quidem transitus securus fuerit. — Calvinistae nostros Fratres apud ottomanum modicum favorem possidentes, palam persequi non praesumserunt; at in occulto nec his pepercerunt. — Parochi vix ad aliquot milliaria reperiebantur; imo diuturno tempore solus Episcopus sine Capitulo hic loci persistebat; quo etiam tandem instituto, tantus fuit ecclesiasticorum defectus, ut ipsi Canonici nunquam foraneas paraecias administrare debuerint. — Et ideo Fratres nostri erant praecipui ad multa milliaria coad-

iuiores. — Donec propagata longe lateque fide Romano-Catholica, clerus dioecesanus per surescentiam sensim multiplicatus fuisset.

In defectu fidelium et favorum exularunt ex hac civitate praedicantii Helveticae Confessionis an. 1717; — at sub regimine Iosephi 2. an. 1783. iterum inducti, in loco praealto oratorium cum turri aedificarunt; numero attamen non proficientes. In Arce Veszprimiensi praealto monti insidente, in qua memoratus conventus noster situatur, tanta erat antecederet penuria aquae, ut tam pro potu quam coctura e remotissima inferioris civitatis parte, aqua ad conventum vehi debuerit; at Excell. D. Ignatius Koller de Nagy-Mánya, 1760. Episcopus Veszprim. factus; impensis suis e fluvio Sie aquam ad arcem adduci, et e fonte saliente ante residentiam erecto fluere fecit in tanta abundantia, ut omnibus inhabitantibus arcem sufficeret.

Anno 1809. mense Maio 2400 Galli Veszprimium venerunt; qui in Episcopio, apud Rmos. dominos Capitulares et alios privatos bene accommodati, nihil nocimenti causarunt; — at supplevit nobilis Insurrectio Hungarica, quae quaque versum adeo grassabatur, ut omnium patriotarum testimonio; insurgentes non defensores, sed expilatores fuerint; — damna per illos etiam Veszprimii, signanter conventui causata, recensere pudet.

His accessit trium Nosocomiorum provisio: die 13. sept. 1809. P. Nicolaus Nunkovits Guard. serviens militibus in contagiosa infirmitate decumbentibus, eadem infirmitate correptus, victima charitatis e vita excessit; eandem sortem experti sunt PP. Victorinus Kiss concion. em. Alexius Martin conc. germ. — Sed aliis etiam Patribus contracta contagione infirmantibus, ex aliis conventibus aliquot Patres pro

subsidio mitti debuerunt. — In sequelam tantarum calamitatum et exactionum, Conv. Veszprimiensis caeteroquin miser, aere alieno se admodum gravare coactus fuit; — attamen, missus est homo a Deo, cui nomen erat Ioannes: — Ioannes Hornyik Cath. Eccl. Veszprim. canonicus, Vicar. Generalis, intelligens miserabilem statum debitis nimium gravati Conv. nostri Veszprimiensis, proprio motu ductus, omnia eius debita exolvit, unaque ei pro uno anno lignum focale procuravit; — accesserunt reliqui Rmni DD. Capitulares symbolis frumenti et vini, taliterque Conventum pia munificentia discrimini eripuerunt.

In Ecclesia huius Conv. processio Resurrectionis Dominicae, olim in Hungaria ubivis vespere Sabbathi Sancti asservari solita, sed inde ab annis 40 et ultra, regis decretis impedita, an. 1824. favente Illmo ac Rmo. D. Antonio Makay Episcopo Veszp. postliminio solenniter revector est. — Fratres huius Conv. spiritualia servitia domi forisque obeunt, lingvis: hungarica et germanica. — Primus eius Guardianus an. 1730. fuit P. Leo Orechovszky, nunc eidem praeest: A. V. P. **Antonius Tamasko**, Conc. Prof. em. Definitor ad honores.

CONVENTUS

SIMONTORNYENSIS

ad SS. Apostolos Simonem et Iudam, in Dioecesi Quinque-Ecclesiensi, Comitatu Tolnensi.

Oppidum Simontornya duplici fluvio cingitur; altero quidem Sio nominato, e lacu Volceo originem trahente; altero vero Kapos dicto. — Fuit quondam locus paludosus, nec facile accessibilis, et ideo non mediocriter praesidium contra hostes in hoc oppido stetit. — Dum praedominantes olim calvinistas complecteretur, nullum catholicum sacerdotem tolerare voluit; et ideo non ultimum fuit contra legitimum regem rebellantium refugium. — Regnante dein augustissimo Leopoldo M. fidei catholicae promotore eximio, plures sensim Catholici hoc oppidum ingressi sunt: qui inter frequentes Turcarum Alba-Regia eruptiones et depraedationes, obtinuerunt quandoque e Conventu Veszprimiensi Patrem, qui eis in maioribus festivitatibus sacra administravit. — Advenerat etiam unus parochus, qui mox hic loci mortuus fuit; hunc excepit in cura animarum P. Paulus Dianótzky Provinciae Bosnensis alumnus, quo fati cedente, Provincia Bosnensis linguae hungaricae gnarum individuum non habendo, tam parochiam quam locum publico documento resignavit.

Destituti proin omni pastore catholici Simontornyenses, continuis precibus fatigarunt Provinciam nostram pro uno presbytero orantes; quem ubi resolutum habuissent; venit currus Simontornya Albam - Regiam cum uno deputato catholico, pro avehendo Patre, die 6. Maii an. 1717. — Interrogatus per P. Guardianum dictus deputatus, quomodo et qualiter se Pater ibidem haberet? Respondit nomine Status Catholici: quod daturi sint Patri fuitam residentiam PP. Bosnensium, in qua sunt: duae cellae, unum refectorium et cellarium, sed omnia vacua; retulit porro ille idem, inveniri in oppido et peripheria circa 50 paria catholicorum, quodlibet par daturum Patri annue medium cubulum frumenti et 5. grossos. — His auditis P. Innocentius Czerpics Guar. Albensis, P. Sigismundum Lukácsy, cum F. Andrea laico, modica farina sale et 4 flor. provisum in Nomine Domini misit, ut peripheriam Simontornyensem ad catholicismum converteret et administraret.

Oblationi huic per Provinciam acceptatae accessit confirmatio eiusdem residentiae cum tempore in formalem Conventum convertendae, ab episcopo dioecesano Illust. D. Vilhelmo Com. de Neselroth, an. 1720; — qua confirmatione habita, Fratres nostri pro necessario fundo apud D. Terrestrem institerunt, et obtinuerunt; cuius resolutionis tenor est sequens:

Nos Maximilianus Vilhelmus S. R. I. comes a Limburg-Stirum, haereditarius in Aiham, Visch, Gemer. Goör et Simontornya etc. haereditarius Dux Geldriae etc.

Quandoquidem alma Provincia S. Mariae in Hungaria apud Nos humiliter institisset, quatenus autoritate Nostra haereditaria dominali in Simontornya, pro emolumento S. Matris Ecclesiae, ac extirpatione haeresum, locum ecclesiae

romano-catholicae adiacentem, Patribus praedicti Ordinis et Provinciae ibidem in exigua domo habitantibus, pro ulteriori emolumento eiusdem almae Provinciae Marianae, animarumque consolatione inscriberemus. — Nos piae petitioni et desiderio annuere volentes; praenominatum locum ab oriente utpote: in longitudine 31, ab occidente totidem; — in latitudine a meridie 21. a septentrione 29. orgias complectentem, qua haereditarius Dominus in Simontornya, iure perpetuo possidendum ac inhabitandum eisdem concedimus; quatenus praenominati Patres, ad normam aliarum suarum Residentiarum, sub Protectione ac Patronatu nostro, Residentiam sibi erigere ac aedificare possint. — In quorum maiorem fidem, praesentes subscriptione et sigillo Nostro munitas dedimus Litteras. — Simontornya die 27. Maii 1722.

Habito fundo, lapis angularis pro Conventu positus fuit per P. Capistranum Sébach Min. Provinciale, die 20. Iunii an. 1728. — Ecclesiae vero 1731. utraque structura benefactorum subsidio promota fuit adeo, ut an. 1754. habito iam requisito individuorum numero, et aedificio ad formam claustrum perducto, Conventus nominari meruerit, primusque pro hoc Conventu Guardianus electus fuit: P. Martinus Szloboda.

Anno dein 1768. Illma D. Baro Iuditha Kisfell, Spect. D. Antonii Hrabovszky vidua, suis sumtibus erexit magnificam aram maiorem cum 4. lateralibus; totamque ecclesiam ea elegantia, quae oculos hominum rapit, et animos ad devotionem excitat pingi curavit; — memoratis 4. aris, duas addidit: D. Com. Carolus Stirum; quo absque haerede decedente, Oppidum cum tota ditione, ad Fiscum Regium devolutum est. — An. 1805. via cambiationis transiit ad Com. Carolum Eszterházy, — nunc paret L. B. Sina.

Praeter Parochiam providet Conventus spiritualibus servitiis ab an. 1801. Institutum Limburg-Styrumianum, in domo curiali, quam olim ipse dynasta, Comes et Dux Styrum inhabitaverat, pro depauperatis nobilibus Comitatus Tolnensis fundatum; ipse namque Dux Styrum omnia sua mobilia in auro et argento, in frumento et vino, in pecore omnis generis; in oeconomicis instrumentis etc. consistentia, cum tenetis immobilibus aquisitis ob defectum seminis vendi, et in pias causas penes administrationem inclyti Comitatus Tolnensis converti iussit. — E distractis praememoratis rebus conflata est notabilis illa summa, e cuius interusuriis praeter nobiles Xenodoehialistas simontornyenses; praeter item multos studiosos pauperiorum nobilium filios, numerosi in dicto Comitatu viri et feminae participant. — Specialiter quod Xenodoehialistas simontornyenses attinet, pro singulo illorum annue computantur 200 f. conv. mon. titulo intertentionis; praeter reliqua requisita singulus quadrantaliter accipit 2 flor. pro tabaca fumatoria; domiciliantur commodissime in fuita Caroli Limburg-Styrum 1801. mortui residentia; — in qua est spaciosum sacellum, Divinis omnes Xenodoehialistae infirmitate non impediti interesse debent, debite induti veste hungarica; sepehantur in communi coemeterio characteri nobilium convenienter; stola fixa per Institutum solvitur, 10 f. conv. mon. — Utinam talia pro depauperatis citra culpam, secus honestis nobilibus familiis Institua in omni Comitatu existerent; Styrum fuit extraneus, Dux Geldriae et in Limburg, pulchro exemplo praeivit; at dolendum quod adusque aemulum non invenerit. — Praeest Conv. P. Gerardus Sebestény, concion. emer. h. t. Guardianus.

RESIDENTIA

COMAROMIENSIS.

Comaromium Urbs (si Bonfinio fides) a Comaris Scythiae populis nuncupata, Regis Ladislai posthumi, ac Cardinalis Leopoldi Kolonits natale solum; hic Innocentius Papa XI. longiori tempore morabatur, dum adolescentior castrensibus disciplinis imbueretur. — Celebre hodie est inferioris Hungariae praesidium, quod adusque nullus inimicorum capere poterat. — Civitas Comaromiensis, prius catholicissima, tardius, ignotum qua via et causa haeresi lutheri et calvini adeo infecta fuit; ut nec toleraretur quidem in Urbe parochus catholicus; civium maioris auctoritatis, primaeque nobilitatis vir, catholicae religioni addictus, D. Mathias Huszár, adventantes nonnunquam Iaurino pro eleemosyna colligenda Fratres nostros, in domo sua benigne excipere et fovere solitus fuerat: post cuius fata, eiusdem filius Stephanus, adhuc maioribus erga Fratres nostros beneficiis insistens; eis persvasit, ut in sua privata domo, Sacra Catholica quandoque peragerent; imo per integrum etiam annum, evocatos Iaurino aliquot Fratres clanculum retinuit; veritus potentiam haereticorum, inprimis calvinistarum, qui in hac Urbe, publicum suae sectae exercitium, cum scholis usurpaverunt. — Interim Fratres nostri, praetextu eleemosynae domos calvinistarum ingressi, et cum illis caute de religione locuti, intellexerunt,

complures calvinistarum non esse a Sacris Catholicis totaliter alienos; sed unice suorum ministrorum odia et persecutiones formidare; quod ubi familiae Huszár, et hac mediante, Commendanti arcis D. Carolo com. de Hoffkirchen innotuisset; hic praedicantes calvinos: Stephanum Szundy et Iacobum Csúzy, universosque tam scholares quam hypodidascalos, Urbe eiecit, et Fratres nostros illocavit, an. 1670. Eiectis pseudo-magistris, calvinistae suos maiores a catholica religione fraude ad haeresim seductos fuisse non dubitantes, zelo ac labore Fratrum, turmatim ad sacra catholica redibant.

Georgius Szelepcsény A. Episcopus Strig. super felici in Urbe comaromiensi catholicae religionis incremento multum laetatus, Fratribus nostris ecclesiam calvinistarum, olim ad catholicos pertinentem, una cum scholis contulit; facultate data e conversis, et ultra convertendis ad sinum Ecclesiae Cath. haereticis parochiam condendi et administrandi; quam collationem Caes-Regia Maiestas confirmavit, tenore sequenti:

Nos Leopoldus D. G. E. R. I. Germ. Hung. Boh. Rex etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, quibus expedit universis. — Quod pro parte ac in personis religiosorum PP. Ord. S. Franc. Seraph. Provinciae S. Mariae Comaromiensium, exhibitae ac praesentatae sint Maiestati Nostrae, certae litterae fidelis nostri, nobis sincere dilecti, Rmni. in Christo Patris Georgii Szelepcsény A. E. Strig. — quibus mediantibus, Idem qua Ordinarius et Dioecesanus loci, iisdem P. P. Franciscanis, ad sedulas easque frequentes Oppidanorum Status Catholici Comaromiensium apud se factas instantias, consideratis meritis et zelo memoratorum P. P. Franciscanorum in administrandis officiis, atque servitiis di-

vinis industria, certi cuiusdam templi, olim helveticae confessionis hominum ibidem existentis et habiti; iam vero orthodoxae fidei catholicae reconciliati; una cum scholis, aliis adpertinentiis ad idem templum antea spectantibus, liberoque omnium Sacramentorum exercitio; accedente ad id etiam Camerae nostrae Aulicae praefatique loci Supremi Capitanei, fidelis utpote nostri Spectabilis et Magn. Caroli Ludovici Comitis de Hoffkirchen Campi Mareschalli Locumtenentis consensu — in perpetuum concessisse, ipsorumque curae commisisse dignoscebatur 22. Martii 1672. — — Nos itaque huiusmodi humillima supplicatione pro parte praerecensitorum P. P. Franciscanorum Comaromiensium, regia benignitate exaudita. — Saepe fati A. Episcopi Strigon. Testimoniales, approbavimus, roboravimus, et ratificavimus; ac pro supra nominatis P. P. Franciscanis Comaromiensibus, ipsorumque successoribus perpetuo valituras, gratiose confirmavimus. — Datum per manus fidelis Nostri Thomae Comitum Pálffy, Episcopi Nitriensis, Aulae Nostrae Cancellarii.

In Castro Ebersdorf die 16. sept. an. 1672.

Hac confirmatione ecclesia quidem integra, at scholae exili admodum labore compaginatae obvenerunt, ac proin ad normam iusti ac regularis Conventus redigendae fuerant; at tota fere vicinia, et maxima Civitatis pars haeretica, nullas suppetias ferre voluit. — Quare pientissimus Imperator in finem erigendi Conventus, et ecclesiae ad ritum catholicum instaurandae, flor. 500. e Camera regia benigne resolvit. — Imo, supersunt in archivo duplices litterae Excelsi Consilii Bellici, nomine Suae Maiestatis dicto commendanti comiti de Hoffkirchen transmissae, quarum vigore declaratum extitit, quod de Iussu Regio omnes adpertinentiae ecclesiae quondam helveticae confessionis

(ex tunc autem PP. Franciscanorum) uti: dotes, suppellectilia, pecuniae, utensilia, per calvinistas olim catholicis erepta, adhibito brachio militari exquiri, debeant, et eidem ecclesiae ac conventui pro instauratione aedificiorum restitui; signanter: 1000 Thaleri per senioris Principis Rákóczy uxorem pro extruendo Érsek-Ujvárini calvinistarum templo depositi. — His porro adminiculis, ac etiam Illmorum A. E. Strig. Georgii Szelepcsény; item Thomae Com. Pálffy Ep. Nitriensis singulari munificentia, an. 1677. Conventus cum Ecclesia, divae Reginae Angelorum de Portiuncula dicata aedificari et instaurari coepit.

Quantum Patres huius Conventus in vinea Domini a primordio sui ingressus laboraverint, manifestum redditur; quod devotus iam populus, maxima e parte repudiata haeresi Catholicus ibidem in Urbe, uti etiam in vicinia reperitur; cum tamen ante adventum Fratrum nostrorum, maxima eius pars luthero, et calvino adeo addicta fuerit; ut catholicus Curio quacunq; demum altiori potentia (id quod saepe tentatum fuit) induci penitus nequiverit, sine manifesto tumultuum et seditionum periculo. — Quare Fratres nostri cum initio introductionis suae, praevalentibus haereticis, inter mille ac quotidiana mortis pericula, parochiam in sua Ecclesia administraverant; imo in tota vicinia ad complures leucas curam animarum exercebant. — Difficilia sane fuerant tempora illa dum Strigonium adhuc, Párkány et Ujvárinum Turca possideret, et Emericus Tököly, calvinistarum defensor acerrimus, ubique catholicis, sed praecipue religiosi insultaret.

Mox ubi residentia pro Fratribus adaptata fuisset; primus loci praesidens P. Ladislaus Litomericzky, curam animarum ac stolam integram (ut vitae sustentandae in de-

fectu collectionis eleemosynae aliqua media suppeterent) obtinuerat ab A. Ep. Georgio Szelepcsény an. 1672. — Biennio elapso, introducti sunt PP. Societatis Iesu pro iuventute erudienda, qui vix primum fixere pedem, mox contendebant parochiae administrationem, iam antea Patribus nostris assertam sibi vindicare; quibus quidem primus passus civitate reclamante non successit.

Evolutis 17. annis, iterum dicti Patres Societatis Iesu parochiae administrationem nostris eripere moliebantur; obtinueruntque decretum a Georgio Széchény A. E. Srigon. cujus virtute administratio parochiae PP. Societatis adiudicata fuit. —

Quod ubi Senatus Urbis audivisset; sequentes Litteras per triplicem Comaromiensem Statum Catholicum, sub sigillo civitatis confectas (quarum originales habemus) dicto Celsissimo D. Archi-Episcope transmisit.

Celsissime Princeps, Dne, Dne Nobis Gratosissime!

Humillimorum Servitorum Nostrorum Commendationem.

Peroptime constat Celsitudini Vestrae qualesnam vicibus binis exeratas celsitudini Vestrae a miserrimis Monachis per Patres Societatis stolae ablationis ergo transmiserimus litteras. — Intuendo igitur eosdem in administratione sacramentorum, in eruditione populorum, denique in exercitio omnium bonorum operum tam ferventes, ut nonmoda Catholici, verum et plurimi helveticae confessionis assecularum, sacras eorundem aedes adeuntes, conversionem appetiere; cum autem plus dilectionis ab omnibus haberent quam Patres Societatis, ratione ex praemissa, ad illos dictae confessionis homines, infantes suos ad baptismum ferre recusant, — quin imo in circumiacentibus Pagis manibus praedicantis tradunt;

interim si inter tales incommoditates infantes mori contingeret, Patres Societatis essent causa; cum uberrimam habentes sustentationem, miserrimum bolum invideant et abstrahant. — Proinde perquam demisse rogamus Celsitudinem Vestram, dignetur eosdem Patres Franciscanos in gratiosa Collatione piae reminiscendae Celsitudinis Vestrae Praedecessoris Georgii Szelepcsény, perque Suam Maiestatem Sacratissimam confirmata conservare; ut tandem his habitis, ad quaevis obcunda omnium Sacramentorum administrationis munia commodiores reddantur, nulla vel ex mendicatione, vel a Patronis quibusdam auxilia habentes; alto Celsitudinis Vestrae iudicio committimus, quomodo suorum sustentationi consulere posset. — Gratiam Celsitudinis Vestrae humillime reservire non intermitteremus.

Eiusdem Celsitudinis Vrae. Comaromii 22. Nov. anno 1689.

Servi Humillimi
 Triplex Status Catholicus
 Militaris, Nobilis, et Civicus.

His aliisque motivis ductus A. Episcopus saepesatam parochiae administrationem Conventui huic restituit; qui in eiusdem possessione permansit annis postea 26. quibus elapsis, anno demum 1715, dum nec sub Szelepcsényo, nec sub Szechénio Patres Societatis voti compotes redditi fuissent; sub tertio A. Episcopo Duce Christiano Augusto de Saxonia, tertium arietem admoverunt, eo successu, quod administratio parochiae, cum maximo Civium renisu PP. Societatis adiudicata fuerit; eo argumento adhibito, quod Fratres nostri eleemosynis Fidelium Catholicorum, undique in numero excrescentium, absque redivis parochialibus sustentari possint. — Sicque Fratres nostri parochiam Co-

maromiensem, quam conversis ad Fidem Catholicam cum vitae periculo calvinistis an. 1672. condiderant, usque an. 1715, hoc est 43. annis administrarunt, dum eam iam bene ordinatam Iesuitis cedere debuerant.

Nihil quid melius ad vota calvinistarum accidere poterat, nam mox impleri coepit, quod triplex Status Catholicus in suo ad A. Episcopum dd. 22. Nov. 1689. recursu, prae-timebat.

Conventus Comaromiensis primum fatum experiri debuit an. 1763. die 28. Iunii; terrae motu urbem adeo succutiente, ut vix aliquod aedificium in ea remaneret. — Hoc tempore corruit fornix Ecclesiae nostrae, et 7. homines in ea orantes oppressit. — Restauratus Conventus mansit in possessione Provinciae usque an. 1808. Quo pro parte fortalicii occupatus fuit; suppellectili eius curribus et navibus, sumtibus publici ad Conventum S. Antoniensis, sub Iosepho 2. abolitum; praecattacto autem anno pro Comaromiensi restitutum translata.

Senatus Civesque Comaromienses numerosis precibus instabant pro conservatione sui Conventus, quorum instantiae quo sensu conceptae fuerint, patet esequenti rescripto:

Prudentes ac Circumspecti Domini
mibi honorandi!

Gravitas Fundamentorum illorum, quae Praetae DVrae, ad ulteriorem Ordinis PP. Franciscanorum in ambitu Civitatis suae manutentionem, in substrata mihi dd. 25. labentis Repraesentatione sua adduxerunt, ad internam gremialis populi necessitatem, eam certe in me attentionem promte excitare debuit, ut nisi anceps modernorum adjunctorum conditio omne momentum incertum reddidisset, quo Comaromiense eiusdem Ordinis Monasterium una cum ecclesia ad arcensem caetero-

quin demolitionis lineam recidens, destinata sui ruinam experiatur; reiteratis rursus studiis, me pro ulteriori eiusdem conservatione convertere studuissem.

Cum interim eo iam temporis, dum Praetis DVris, dd. 27. Sept. altiore eatenus Intentionem manifestare necessitabar, nihil intentatum reliquerim; quatenus Sacro hoc Ordine in consistentia sua conservato, Praetas DVras a concipiendo, quem nunc reipsa contestantur animi moerore liberare valeam; postquam interim omnibus in rem adductis momentis, non tam praesentanae necessitatis ratio, quam proximae demolitionis discrimen praevaluerit; in arduo hoc rerum situ omni ulteriori alterandae praeconceptae Ideae spe adempta, nil ultra reliquum mihi est, quam ut dum una e parte summe dolorosum mihi accidat, quod in ingrato hoc objecto Instrumentum effectuationis agere necessiter; parte tamen ex alia id unum pro consolatione Praetlatarum DVrarum significarem, non obstante Ordinis huius translatione, pro Civium spirituali solatio et emolumento, in distincta domo, porro quoque 4. aut 5. Patres retinendos. — In reliquo solita cum aestimatione maneo. Praetlarum DVrum. Tatae 29. septem. an. 1809. ad Officia paratissimus.

Stephanus Végli, m. p.

In sequelam huius resolutionis, Civitas Comaromiensis sat spatiosam et commodam domum nostris pro residentia obtulit, quam actu 5. individua Ordinis incolunt; praesidente: A. V. P. Iustino Ban, conc. emer. et Definitore actuali.

Ad fata recentiora Urbis, et Ordinis nostri ibidem fungentium Fratrum pertinet, terribile incendium 17. Sept. 1848. circa primam horam pomeridianam exortum, quo plus quam 400. domus, templum parochiale ad S. Andream,

olim per Iesuitas ad omnem elegantiam structum. — Item domus Parochialis, Comitatus et Civica etc. in bustum redacta sunt. — Cum taliter amissis templis totus populus catholicus ad unam capellam S. Rosaliae in Calvaria restringeretur; A. R. P. Pantaleo Golessény Min. Provincialis, recurrit ad Excel. Cultus Ministerium, enixim orando pro restitutione Ecclesiae (aboliti Conventus nostri, iam pro parte praesidii superfluae) cum sacristia, et uno vicino cubiculo; sed absque effectu.

Afflictis civibus, maior accessit afflictio 1849. die 17. Mart. qua Caesarei milites urbem oppugnare coeperunt, et usque 26. Aprilis tanta cum vehementia oppugnarunt, ut intra 24. horas usque 200. ignivomas pilas ad Urbem proiecerint; novitus proin in multis locis incendium erupit; signanter 29. Martii, quod multas domos cum oratorio Reformatorum absumsit; pepercit attamen Divina Providentia sic disponente, immediate vicinae residentiae nostrae. Toto hoc tempore Cives in parte Civitatis Vago flumini contermina morabantur, quo etiam nostri Fratres discesserant, apud nobilem Stephanum Goday liberum hospitium invenientes.

Brevis Historia Conventuum per Iosephum II. abolitorum, mente fundatorem ad Provinciam S. Mariae pertinentium.

I.

CONVENTUS BUDENSIS

ad S. Ioannem Baptistam.

Buda metropolis Hungariae, teste Bonfinio ibi olim stetit, ubi nunc oppidum *Vetus Buda*, et vocabatur *Sicambria*, a Romana Legione *Sicambrorum* condita. In eo autem monte, cui nunc *Civitas Budensis* cum praesidio insidet, aedificatum fuit *Castellum* contra irruptiones *Tartarorum* a *Praeposito Vetro-Budensi*, loci agrique adiacentis domino. — Ab illo Castello ipse mons dictus fuit: „*Novus Mons Pestiensis*.“ In hoc monte fuit *Praepositura*, quae toti monti dominabatur, *Praepositurae Vetro-Budensi* adnexa, cuius titulus actu obtinet.

Bela IV. Hung. Rex, experientia doctus *Tartaros* loca in edito situ evertere non potuisse; complures arces in regno, et quidem in montibus tam ipse condidit, quam *Magnatibus* condere indulsit. — Anno 1268 *Germani* artis periti ad struendum castrum evocati, explorata situs opportunitate, data *Praeposito* honesta pensione, urbem et arcem quam nunc in monte pro gloria *Gentis* consistere videmus, aedificaverunt. — Mox ut *Bela IV.* Castrum seu novam *Budam* in monte struere, munimentisque firmare coepit; *Ordini* et *Provinciae* nostrae *coenobium* cum magni-

fica ecclesia Divo Ioanni Baptistae dicata aedificavit et contulit, ultimo regiminis anno, 1270.

In hac Ecclesia, Andreas III. Hungariae Rex, an. 1301. die 14. Aug. virilem Arpadi Stirpem, secum tumulo intulit.

Antiqui codices testantur, Provinciam nostram an. 1400. quatuor Conventus Budae possedisse, utpote; S. Ioannis Bapt. in Castro; S. Clarae in Insula Leporum; ad S. Petrum de Alcantara Pestini; ad S. Franciscum Vetro-Budae. — Nec mirum videri debet, quod Pestiensis inter Budenses computatus fuerit; Pestinum enim tunc temporis, non minus quam Vetus-Buda et Insula Leporum pro suburbio Budensis Castri, tunc iam pro metropoli totius regni habiti reputabatur; nec interfluens Danubius quidquam officiebat; nam nova Buda, seu ipsum Castrum quamquam Pestino ultra Danubium obversum esset; antea tamen „Novus Mons Pestiensis“ dicebatur.

Conventus Ioanneus per Belam IV. nobis collatus, sub dominatu Turcarum desolatus; expulsis Turcis, a nostris qui mox rudera receperunt arduo Marte instauratus; an. 1786, die 22. Iulii per Iosephum 2. abolitus est. — Ad historiam abolitionis magis commendandam, notandum: facta Decreti abolitivi publicatione, illico totam religiosam familiam convenire, et singillatim singulum cum sui nominis subscriptione testari debuisse, se eam abolitionem pro homagiali obsequio libenter acceptare et gratias agere. — Idem etiam in aliis abolitis Conventibus religiosa individua stillantibus licet lachrymis facere debebant, ne gubernium iniustitiae argui posset.

In hac Ioannea Ecclesia aboliti Conventus nostri Budensis, Franciscus I. Rex Hung. 1792. die 6. Iun. coro-

natus est. — In hac porro Ecclesia quondam nostra, Ioannes Martinovits, antea Franciscanus, religiosae observantiae impatiens, extorta ad statum ecclesiasticum transeundi dispensatione, a Iosepho II. Abbatiali dignitate ornatus, tandem criminis laesae maiestatis reus effectus, in hac inquam ecclesia degradatus et in publica platea cum suis corrivalibus, inter quos etiam Comes Zsigray extitit, capite plexus est; qui in loco ultimi supplicii constitutus, P. Franciscani sibi assistentis, chordam osculatus est, dicendo: amantissime Pater! aestinet hanc sacram chordam, quam si ego quoque aestinare novissem, nunquam ad hanc infelicitatem devenissem.

Pro coronide notandum; Turrim huius Ecclesiae, omnium Urbis turrium eminentiorem, solam fors et unicam omnium Belae IV. regis operum genuinam memoriam conservare. — Turris enim haec copiosos quondam turcicos globos sustinens, illis a se reiectis fortis et integra per omnes dominationis turcicae annos perstitit; eiectis post 145 annos Turcis, a reducibus Fratribus nostris, cum 3. campanis illaesa adreperta. — Harum campanarum una, an. 1789. Belgradum delata, ab ipsis plane ottomanis aestimatur. — Caeterum abolitus Conventus noster in praesentiarum usibus Excel. i cultus Ministerii inservit.

Causam abolitionis Conventuum Budensium non obscure indigitat Cl. Katona in suo opere 1784 Budae edito, pag. 872. scribens: Quum Regni Hungariae incolae in pluribus iam Comitibus desiderarint, ut dicasteria regni ad meditullium transponerentur, Iosephus II. decrevit, ut tam consilium locumtenentiale regium, quam dicasterium camerae regiae Hungaricae Posonio, prout etiam suprema iustitiae tribunalia, utpote: Septemviratus et tabula Regia

Pestino Budam an. 1784 transferrentur. — Binis illis dicasteriis amplae aedes generali Hungarici cleri seminario dicatae; tribunalibus vero memoratis monasterium Clarissarum anno superiori abolitum, assignata sunt; quae aedes centenos Officiales capiendi non erant, ideo sequebatur aliorum quoque claustrorum in Urbe Budensi abolitio, et pro parte dicasteriorum ac tribunalium occupatio.

CONVENTUS SOPRONIENSIS.

Habuisse Provinciam S. Mariae Sopronii Conventum certum est, cuius initia referuntur ad an 1340, quis eius fundator fuerit? nescitur: constans traditio refert, quod quidam pastor caprarum, caprae in quodam colle terram frequenter fodientis indicio ductus, fossa tantisper terra ingentem thesaurum invenerit, quo collecto eum senatum Civitatis accessisse, ac facultatem claustrum pro PP. Franciscanis aedificandi postulasse, — qua impetrata, omnino struxisse magnum claustrum cum ecclesia et turri e sectis quadratis lapidibus. — Haec traditio, quamvis nulla scriptorum assertionem firmetur, ac a nonnullis inter aniles fabulas reputetur, sua tamen non caret probabilitate; — quisque fuit fundator, potens esse debuit, hoc magnifica structura utriusque aedificii comprobatur. — Hoc unice mirandum, omnes Conventus habere documenta authentica suae originis, fundatorum, annatus DD. Dioecesanorum, confirmationis Caes-Regiae etc. — Unice Soproniensem omni scripto documento destitutum, solummodo antiqua traditione niti; quam traditionem probabilem reddunt: in dicta Ecclesia, in fronte chori prominentia caprae terram

fodientis cornua, una cum pastore flexis genibus, baculo et pera iuxta se positis orante; prout etiam in superficie turris capra e lapide fabrefacta despiciens urbem. — Quae signa nisi hunc Conventum a pastore aedificatum indicent; non assequitur, quid cornua una cum pastore humili sane amictu vestito designent; — neque enim ulla Heraldica tradit, capram alicuius sublimioris familiae in Hungaria, Insignium vices subiisse.

Post cladem Mohacsianam sub Ferdinando I. et eius successoribus, Fratres a lutheranis quos impugnabant, multas vexas perpassi sunt. — Substiterunt tamen inter multas calamitates, imo aliis fratribus: Tyrnavia, Nitria et e S. Catharina per Turcas et haereticos abactis, saepe hospitium praebuerunt. — Conventus hic per Iosephum II. abolitus est; pecunia parata, fundationalis, item pro distractis rebus Conventus incassata, una cum thesauro ecclesiae Budam absportata. — Conventu plenarie evacuato, Fratres nostri moestis oculis, nil praeter habitum, breviarium et baculum secum auferre valentes, discesserunt; triumphum canentibus lutheranis, die 12. Iunii 1788.

Multum pro huius Conventus restitutione egit Comitatus et Civitas Soproniensis; sua Maiestate ad preces oratorum inclinante, anno 1801. venerunt ad Provinciam a Comitatu et Civitate litterae, quibus quaerebatur; quanta summa annue pro subsistentia restituendi Conventus requireretur? dumque a parte Provinciae responsum fuisset: pro conservatione sartorum tectorum, item intertentione Individuorum religiosorum, praeter stipendia sacrorum manualium, summam 5000 f. annue requiri, — mox Comitatus 7000, civitas autem 2000 f. praeter alios Benefactores pro capitali in hunc finem subscripsit, promittendo

pias symbolas continuatum iri quoad capitale summam 5000 fl. annui interusurii produxerit. — Interim placuit Divinae Providentia minus malum maiori bono compensare; siquidem meritissimum de Hungaria S. Benedicti Ordinem, cui Gens suam religionem et totam culturam in acceptis referendam habet; nulla oblata causa, Iosephus II. svasu hominum alienis inhiantium, 1786 ex toto extinxit. — Quem sacrum Ordinem Franciscus I. non tantum ex integro restituit an. 1802, verum etiam plura loca sine docendarum scholarum ei assignavit; inter quae ipsa quoque Civitas Soproniensis, et nominatim ibidem praeevens PP. Franciscanorum Provinciae Marianae Conventus et Ecclesia continebatur; — quem etiam idem Ordo, mox eodem an. 1802. die 1. novemb. adiit — gratulante desuper Provincia, quod suus Conventus a religiosis, ad religiosos transierit.

CONVENTUS IAURINENSIS.

Iaurinum, olim dum Romani Pannonia potirentur, Arrabona, Bregetium, Iavarinum vocabatur. — Habuit in suburbio Ordo et Provincia nostra Conventum, circa an. 1301. fundatum, et honori S. Elisabeth dicatum; in veteri illo Conventu, an. 1455. Divus Ioannes Capistranus hospitabatur. — Omnes equidem Hungariae Procere Iaurinum convenerant, communi malo omnium consiliis remedium adhibituri, postquam turcica potentia capta iam Constantinopoli, toti regno Hungariae infesta esse coepisset. — Huc vocatus Capistranus ad maiorem fiduciam rei bene gerendae, opisque magnae a novo Pontifice Calisto 3. ministrandae, promisso facto, palantes ac desperabundos Patriae

Patres erexit. — Scripsit etiam litteras idem Divus Ioannes eidem Pontifici, in quibus suppetius flagrantissime exposcebat pro defensione Hungariae. Datas Iaurino Hung. 21. Iunii 1455. — Sed etiam Proceres regni eidem Pontifici scripserunt, ultroneam eius opem exorantes, — his verbis inter reliqua: Habemus inter has expectationis angustias confortatorem idoneum Vener. Fr. Ioannem de Capistrano Ordinis Minorum, qui peragratis multis partibus Alemanniae, adierat Poloniam, inde per Silesiam et Moraviam, iterato regressus in Austriam concessit. — Tandem ad has partes delatus, ubique zelo fidei et doctrina clarus, apud nos vero pro conditione rerum nostrarum exhortationibus pernecessariis clarissimus; huius sermonibus recreamur, huius devotione reficimur etc. 21. Iulii 1455: Dionisius Strig; Raphael coloc. AEppi. — Ioannes de Hunyad Com. Bisztricensis; Ladislaus Gara Palatinus. — Hic Divus sanguinem pro Hungaria fundere paratus, etiam cineres suos Hungariae reliquit; an. 1456 die 26. oct. in Domino mortuus, Illokini in Slavonia tumultatus extitit. — Antiqua scripta testantur: Corpus S. Ioan. Capistrani, capto per Turcas Sirmio ex arce Ujlak, ad Nagy-Szöllös (Ugocsa) translatum fuisse, quod quia Franc. Perényi lutheri assecla in squallidum puteum proiici iussit, — Ioan. Telekesy in Castro Szöllösiensi Perényium cum uxore et liberis intercepit; 140,000 aureorum apud Perényium adrepta inter duces et milites distribuit. — Avus Telekesianus sub ductu Ioannis Hunyady et Ioannis Capistrani, in multis contra Turcas pugnis inclaruit; et agente Ioanne Capistrano, non modicos fundos titulo praemii impetravit; et ideo Telekesy ob male tractatum corpus Ioannis Capistrani, in vindictam exarsisse legitur.

Perduravit hic antiquus Conventus usque an. 1595. quo proditione et nefanda avaritia Hardekii et Perlini, iam falso lutheri dogmate afflatorum ducum — Sinanes Veziarius urbem cepit, et praememoratum Conventum ad vota haereticorum funditus evertit; perierunt hac tempestate omnia documenta, ita ut nec auctor Conventus (quem tamen Colomannum Episcopum Iaurinensem fuisse, fides tenet) ad notitiam posteritatis devenerit. — Anno tandem 1598. heroica virtute Schwartzenburgi et Nicolai Pálffy recepto Iaurino, mox Fratres nostri Urbem hanc subingressi, regiae militiae curatos, et contra irrepentes haereses missionarios egerunt. — Anno dein 1614. iuxta ecclesiam divo Stephano Proto-Martyri sacratam, olim parochialem, sed sub ditione turcica profanatam et penitus collapsam, speciali auxilio Illmi Baronis Ioannis Preiner, praesidii Iaurinensis supremi commendantis; accedente consensu Illmi D. Demetrii Naprágyi Eppi, item Ven. Capituli Iaurinensis, quod eo tempore terrestre dominium in hanc Urbem obtinuerat, aedificatum Conventum Fratres nostri acceperunt, ad ecclesiam eius an. 1771 impetravit P. Provincialis Roma corpus S. Maximi non secus pro ecclesia Poseniensi, S. Reparati Martyrum.

Verum Conventus hic decreto Iosephi II. die 29. Dec. 1786. cum summo Civium dolore abolitus, nunc pro domo Comitatus deservit.

CONVENTUS KIS-MARTONIENSIS in Sacro Monte Calvariae.

Conventus hic authorem suum venerabatur Paulum Eszterházy, S. R. I. Principem, Regni Hungariae Palatinum, Conventus Mariano-Pratensis fundatorem; qui cum pro sua pietate montem Calvariae iuxta Ecclesiam Conventus Lancendorffensis Provinciae Austriae, a quodam Fr. Felice structum visitaret, observaretque mysteria amarissimae Passionis Dominicae ibidem ad vivum, et intimam cordis compunctionem repraesentari. — Collatis cum eodem Fr. Felice consiliis, Kis-Martonii in suo fundo similem Calvariam pro fovenda populi pietate erigere decrevit; cuius fundamentalis lapis positus est 22. sept. 1701 — Perfecto opere, 1707. omnes huius celeberrimi Calvarii capellae consecratae sunt per Com. Emericum Csáky Eppum M-Varadiensem. — Pientissimus fundator penes hunc sacrum montem struxit Conventum pro Fratibus nostris.

Anno 1711. P. Daniel Guzman loci praesidens, vicinum oppidum Höfflein, ubi novam B. V. M. gratiarum statuam increbuisse intellexerat, devotionis causa petiit; redux Kis-Martonium, Principem in sua arce manentem accessit, et dictae statuae ad hunc sacrum Calvariae montem translationem ardentissime postulavit. — Pius Princeps lubens annuit, et die 3. sept. eiusdem anni, statua B. V. Mariae e loco Nagy-Höfflein ad sacrum montem Calvariae per Card. Christianum Augustum Ducem Saxoniae A. E. Strig. et Eppatus Iaurinensis Admin. — Comitante Principe et tota Principis familia, cum multis Proceribus, ac maxima populi frequentia translata fuit. — Ab illo tempore, ad

praesentia usque tempora non solum ex Hungaria, sed etiam ex Austria et Styria, singulis annis multa millia fidelium devotionis gratia Kis-Martonium concurrere solent. — Conventus hic ad capiendum maiorem numerum Patrum ob multos et magnos populi fidelis confluxus necessariorum auctus, et per Familiam Principis honeste dotatus. — Anno 1786. die 29. Dec. per Iosephum abolitus, nunc usibus D. Parochi, et aliorum ecclesiae ministrorum deservit.

CONVENTUS KESZTHELYIENSIS.

Stephanus Laczkovits vaivoda, sub Ludovico 1. multis meritis fulgens, in oppido Keszthely, ad paludem Volceam situato, an. 1386 pro Fratribus Minoribus monasterium aedificavit. — Pius fundator, eo quod malecontentis Ladislaum Caroli parvi filium ad capessendum Hungariae thronum, contra Sigismundum evocantibus consenserit; Crisis in Slavonia ex ipso comitiorum loco eductus, et spectantibus omnibus capite minutus fuit, an. 1398. — Anno 1600 dum Turca Kanizsam in suam potestatem redegisset; Conventus hic iussu regio in confinarium praesidium adaptatus fuit, fossis et altissimis vallis communitum, ubi fratres aliquot annis divisim habitaculis, cum militibus manserunt; sed quia vita religiosa cum petulantia militum non bene convenit; fratres ad alia loca commigrarunt; — subin saltem venientes, ut militibus spiritualia servitia praestarent, et vicinum populum curatis per Tureas et calvinos coesis aut fugatis, in catholica religione confortarent. — Duravit

hoc praesidium usque an. 1690. Oppidum et loca advicina hocce praesidio contra ottomanicum furorem tutabantur; erumpentesque saepius ex hoc praesidio milites Turcam Kanizensem insigni clade afficere consueverunt.

Anno tandem 1723. Carolus 3. Hung. rex, Conventum hunc Fratribus restituit, imo ad eum restaurandum auxilia contulit. — Verum et hic Conventus per Ioseph 2. 16. April. 1788. abolitus est. At quia Conventus Keszthelyiensis locale gymnasium directore et professoribus providebat; intimato Exc. Consilii die 3. Iul. emanati, caeteris fratribus aliorum transpositis, professores religiosi in eiatibus scholis in posterum quoque docturi relinquuntur.

Quoad Historiam abolitionis Conventuum venit notandum; executionem abolitionis diversis in locis diversimode effectuatam fuisse, prout DD. Commissarii fuerant religioni Catholicae et nostro Instituto magis vel minus addicti; sic in S. Catharina DD. Commissarii publicato abolitionis decreto, mox occupatis omnibus, cum accitis numerosis amicis suis lautas fecerunt epulas, Fratribus nostris nec bolum panis dare volentes, iuste propterea accusati, et per Exc. Consilium ad persolvendum pretium epularum damnati. — Similis inhumanitatis et alibi data sunt exempla adeo, ut promulgato abolitionis decreto, nec agonizantibus tempus et locus pro morte pacifice oppetienda in abolito Conventu datus fuerit; at aliter egerunt DD. Commissarii religionem habentes, prout hoc comprobatum fuerat in duobus Conventibus: Mesztegyensi et Keszthelyensi, qui licet decreto Exc. Consilii 1788 aboliti fuerint; D. Commissarius sciens Ioseph. imp. iam in tertium annum incurabili morbo gravatum, negotia regni nihilo minus curare, verum Exc. Cons. sua authoritate in multis abuti; publi-

catis licet decretis abolitionis, finalem executionem studio protardabat. — Anno 1789 die 16. dec. P. Provincialis fulminatorium accepit Buda mandatum quoad instantaneam evacuationem Conventuum : Mesztegyne et Keszthely; quo accepto suum secretarium P. Bernardum Balogh in vigilia Nativitatis Domini misit ea cum commissione, ut prius in Com. Sümegh. Conventum Mesztegyensem, cum influxu D. Commissarii evacuet; tandem ad idem faciendum Keszthelyinum transeat. — Memoratus P. Secretarius, qua mandatarius e parte Provinciae omnium abolitorum Conventuum evacuationi adfuit, et tardius qua testis oculatus et auritus prolixam historiam abolitionis scripsit.

Dum evacuatio Mesztegyae terminaretur, Ioseph. II. mortuus est an. 1790. — P. Secretarius D. Commissarium provocavit, ad Conventum Keszthelyiensem sine continuandae evacuationis, qui reposuit; siquidem Iosephus mortuus est, se ab evacuando Conventu Keszthelyiensi per incl. Comitatum Szaladiensem inhibitu esse, sicque Conventus huius evacuatio multis annis adhaesit.

Sciendum interim est, quod Fratres nostri hunc Conventum iam ante abolitionem deserere voluerint; nam sub Iosepho numerosi Geometrae ad dimensurandas hungarorum terras adducti, suos primores cum suo direttore Keszthelyini in nostro Conventu habuerant, qui adducto secum scortorum grege, Conventum in lupanar et sentinam omnium flagitiorum converterant; reclamatione nihil opitulante Fratres collectis regulis abituri erant; nisi fideles hungari multis precibus abitu disvasissent.

Dictis geometris mortuo Iosepho qua poterant fugientibus, suscitavit daemon novum inimicum, et quidem certum Officiale Comitatus Szaladiensis (secus honestissimae

ad praesens florentis familiae degenerem surculum) qui maiorem partem ecclesiae foeno militiae repleri iussit; ob quod sacrilegum facinus facto ad incl. Comitatum recessu, D. Vice-Comes Keszthelyinum pro oculata veniens, sacrilegum officio privavit, et ecclesiam ablato foeno purgari iussit. — Quo malo remoto, vix aliquot mensibus in pace efluxis, venerunt milites, qui adhibita violentia, seris et portis tam exterioribus quam interioribus perfractis, Conventum per 4. annos depositorium annonae, et per semi-alterum annum nosocomium militum esse fecerunt; his et similibus vexis oppugnati Fratres Conventum et locum Keszthely 1796 deseruerunt, ultima supellectile 1799. ad alios Conventus translata. — Post abitum Fratrum locale gymnasium traditum fuit saecularibus docentibus, anno autem 1801, restitutum et ad docendum obligatis canonicis Praemonstratensibus, qui actu Conventum quondam nostrum inhabitant.

Post primum fundatorem praecipua sunt in hunc Conventum merita Excell. D. Com. Pauli Festetits Camerae reg. praesidis, qui deposita antiqua et iam obsoleta maiori ara S. Osvaldo dicata, novam magnificam aram e marmore 30. ante abolitionem annis struxit in honorem natae Angelorum Reginae. — Idem D. Comes primus in hoc Oppido gymnasium fundavit, Fratribus nostris contulit, et professores ipse solvit. — Post mortem in ecclesia huius Conventus, cuius singularis patronus fuerat, sepultus.

CONVENTUS STRIGONIENSIS

ad Sanctam Crucem.

Habuisse Provinciam Marianam Strigonii in Urbe aquatica Conventum Divo Ladislao dicatum, multis comprobatur testimoniis; at quo anno, loco, et per quem erectum probari non potest; nam an. 1543. Urbem hanc Turcae suae ditioni subjugaverat; qua occasione Conventus hic cum reliquis cunctis Deo Sacratissimis aedibus Fratribus pulsus eversus; tandem in rudus cum memoria abiit.

Anno 1693. Turcis ad Viennam caesis, arx strigoniensis exciso Ottomanico praesidio in manus Christianorum rediit; quo successu serenissimus Belli-Dux, Lotharingiae et Barri Dominus Carolus, Provinciae nostrae alumnus, in hanc subarcensem Civitatem introduxit, locum eis assignavit, et ut quotidie 6. panis portiones ex annona regia acciperent, disposuit. — Et hi erant capellani castrenses, seu curatores regiminum. — Nam Decreto 5. Ferdinandi I. instituti sunt Capellani Regiminum et quidem Monachi; cuius Decreti tenor est: Monachi duo e quolibet Monasterio prodeant ad castra, ut evangelium Dei Castrensibus praedicent, vitia corrigant, confessiones audiant, et pro Fide Christi fortiter defendenda milites animent. — Duravit haec lex usque 1821.

Praelaudatis Patribus cum militia aliorum transeuntibus, an. 1685. in loco illo praesidens institutus fuit P. Daniel Guzman cum aliquot sacerdotibus.

Ut porro stabilitati huius loci consuleretur, supplicare Patres nostri apud Aug. Imp. et Regem Leopoldum,

ut destinatum iam pro Conventu et Ecclesia locum, sua Regia Authoritate huic Provinciae assereret; qua instantia benigne adplacidata, idem Aug. Imp. iussit suum Consiliarium etInspectorem Cameralem Stephanum a Verlein, pro Conventu et Ecclesia aedificanda in hac Civitate Flumentanea, illum locum assignare, quem dein Conventus ad S. Crucem occupabat. — Structus Conventus, 1607. a Rákötzianis exustus fuit; cuius reparatio producta fuit usque an. 1715. quo consummata extitit adiutorio praepriis Excellentissimi D. Francisci Kuklender arcis Strigoniensis Commendantii. — Restituta dein regno constanti pace, de solidiori, ac regulari Conventu et Ecclesia prospiciendum fuerat; quare novus Conventus, parte qua Danubio obversus est, e fundamentis erigi coepit; at lento progressu; desistendum saepius fuerat ob defectum patronorum; tandem 1750. provida superiorum Provinciae cura Conventus cum Ecclesia nova, Inventioni S. Crucis dicata maior et fortior aedificio, consummatus est.

Caeterum et Conventus S. Crucis per Iosephum 22. Iulii 1786. abolitus est; suppellectili eius ad alios Conventus translata. — Tardius locum dedit Presbyterio, an. 1850. seminario Archi-Episcopali Tyrnavia huc transposito, — a die autem 15. oct. 1865. sororibus S. Vincentii a Paula, huc solenniter introductis.

CONVENTUS MESZTEGNYENSIS

In vico Mesztegnyő dicto, Comitatus Sümeghiensis ac Veszprimiensis Dioecesis, prope oppidum Marczaly, vetusta

quaedam ecclesia cum monasterio iam ruderibus contumelata inter fruteta videbatur. — Factaque accurata investigatione, cuius ordinis olim fuerit? nihil penitus comperiri potuit. — Obtigit postliminio dominium hoc Antonio Hunyady de Kéthely priscae fidei et devotionis domino, qui desolatum hoc asceterium perlustrans; animoque identidem reputans, hic loci aliquando laudes divinas celebratas fuisse, ipsum deserti monasterii locum illico pro filiis S. Francisci, qui et Deo altissimo laudes ibidem decantarent, et proximis spirituali adiutorio adessent, destinavit. Quapropter litteras Fundationales an. 1744. ac una locum hunc, obtulit Provinciae nostrae Marianae, quarum vigore Conventum et Ecclesiam ibidem suis impensis aedificandam, ac etiam annuam eleemosynam ut stipendium missae sacrificiorum inibi celebrandorum sancte spondit.

Vix huius piaie intentionis rumor percrebuit, vicinae Provinciae S. Ladislai Patres nitebantur locum sibi vindicare et fundatorem cogere, ut eum vicinae S. Ladislai Provinciae attribuat; Conventu tamen per incl. Comitatum Provinciae Marianae adiudicato; et per Mariam Theresiam Hungariae reg. an. 1746. sententia eiusdem Comitatus confirmata, an. 1747. Fratres nostri solenniter introducti fuere; primusque loci Praesidens lectus fuit: P. Edvardus Bitter; mortuo fundatore aedificium conventus et ecclesiae lente quidem; at solido stabilique labore prosecuti sunt Patres, ex ipso nempe fundationali censu, aliisque Benefactorum symbolis; — an. tandem 1771. tum Conventus regularis, tum Ecclesia S. Ioanni Nepom. dicata exurrexit; primusque Guardianus hic loci institutus fuit; P. Anacletus Lehotay.

Verum hunc Conventum magnis Studiis et impensis

Provinciae erectum, solum 17. annis incolebant Fratres nostri; non obstante Mariae Theresiae confirmatione, et subsidiis per eam pro aedificio eius munifice oblatis, decreto Iosephi II. die 16. Aprilis an. 1788. abolitum. — Agebatur longo tempore satis de restitutione huius Conventus, et quidem hoc volente ipso Comite per Fiscum regium ad tradendam camerae, Conventus foundationem in 20,000 fl. acriter oppugnato. — Consensit Maiestas, iamque Fratres reducendi erant; sed quia nec hi e fundatione quidquam amittere volebant; diu nutante Comite, tandem Maiestas Conventum Comiti restituit, cum onere fundandae in dicto Conventu parochiae, et sic an. 1806. introductus fuit Parochus Ecclesiasticus, cui Comes praeter lecticalia et stollam, annuos 400 fl. resolvit, praetereaue nihil. — Ex his iam intelligitur, quae fuerit causa movens aboliendi Conventum Mesztegnvensem, ad quam magis intelligendam substerno mentem primi fundatoris, eo ex incidenti, quod plures Conventus fundati, simili causa interveniente, similem sortem experiri cogebantur. — Foundationis tenor est sequens :

Ego Antonius Hunyady de Kis-Krstyone etc. etc. Memoriae commendo — quod posteaquam Ego a Deo, ter optimo maximo innumera domi forisque beneficia accipiendo, sedulo circumspexissem, quomodonam devotam gratitudinem meam erga Divinam Bonitatem demonstrare, atque saluti tum meae, tum proximorum meorum pro virili subvenire valerem. — Oblatus est tandem oculis meis situs et locus bonorum meorum e testamento dilecti condam Fratris mei acquisite, in Comitatu Sümeghiensi, alias in territorio Mesz'egnye, in quo Patribus Ord. S. Francisci Provinciae S. Mariae, congruum domicilium in ruderibus cu-

iusdam monasterii divino adiutorio extruerem. — Quare admotis in Nomine Domini sumtibus meis propriis et operariis. — Conventum cum Ecclesia structum, praeattactis Patribus nemine contradicente contuli; — in quo ut 12. Religiosi pro continuo sustentari possint; resolvo e Bonis meis per modum eleemosynae nunquam revocandae aut imminuendae, annue 500 fl. Rhen. item frumenti pro pane metretas posonienses 150; puri tritici metretas 50; vini urnas 150; setigeros saginatos Nro 4; ligni orgias per subditos nostros Mesztegnyenses invehendas 80; — pro intertentione equorum pratum unum, pro succursu ieiuniorum liberam omni tempore piscationem in aqua penes Conventum defluente, quam omnibus aliis vetitam volo; denique omnium sartorum tectorum Ecclesiae et Conventus conservationem, mihi et posteris meis reservo. — Pro casu autem eo, si meam Familiam ex integro emori contingeret, atque sic Bona mea ad alienas manus transirent, perpetuitati Foundationis consulere volens; ut perpetuum Ego, Posterique mei spiritualem Sacrificiorum fructum capere possint; praememoratae Foundationis loco, nunc pro tunc assigno e massa quorumeunque et ubicunque sub Corona Hungariae iam habitorum, aut successive acquirendorum bonorum meorum 20,000 f. Rhen. absque omni tergiversatione deponendorum. — Haeredes autem, posteros et successores meos utriusque sexus, sub gravi Omnipotentis Dei indignatione, multiplicique poena ab eo infligenda, monitos ac obtestatos volo, ut hanc meam traditionem in perpetuum illibate conservare; praetitulatam eleemosynam Conventui Mesztegnyensi semper et fideliter ministrare velint, et teneantur, sintque omnimode adstricti et obligati; neque illam in aliquo minuere aut violare praesumant. —

Datum in Castello nostro Ūrményiensi, die 13. Mensis octob.
1744. — Idem qui supra :

Antonius Hunyady, m. p.

Coram me Stephano Iezerniczky, m. p.

Coram me Iosepho Rudnyánszky, m. p.

Huius foundationis administratio iuveni Comiti Iosepho Hunyady gravis videbatur, et ideo parato licet iam Restitutionis decreto Fratres nostri reduci non poterant.

CONVENTUS S. CATHARINAE.

Celsas inter silvas, in monte praealtis arboribus ob-
sito, ceu ab authore naturae pro asceterio destinato; teste
traditione, iam olim diva virgo Catharina cuidam devoto
Dejthānsi ruricolae ibidem oranti apparuit, monuitque, ut
ibidem in honorem sui capella erigeretur. Praedixit insuper
fore, ut locus ille valde honorandus, et a fidelibus frequen-
tandus redderetur — qua apparitione divulgata, fideles
oppidi Deitha incolae, e lignis fabrefactum sacellum in hoc
loco apparitionis pro sua paupere penu, eiusdem Divae
Catharinae honoribus aedificarunt; quod ubi factum fuis-
set, e tota circumvicinia numerosissimi fideles cum suis
Curionibus, sed praecipue Feria 2. Paschatis et Pentecostes
illuc confluere coeperunt. — Devotus iuvenis Ioannes ex
inicyta Comitum Apponyi prosapia oriundus, contemplans
huius loci sanctitatem, interno spiritus impulsu eremiticam
vitam hocce loco agere decrevit; spretisque paternae domus
deliciis, recepit semet in quamdam huius montis speluncam,
iuxta illud ligneum Sacellum. — Iuvenis hic integro anno
in hac solitudine vitam duxerat solitariam, contemplati-

vam; intra quod tempus saepius ab amicis et cognatis invitatus ad paternae domus solatia, et qua precibus quaminis ad hispidam, hirsutamque hanc vivendi rationem, indignam tanto Sangvine abiiciendam stimulatus fuerat; — at dum iuvenis Anachoreta infracto animo obsisteret, violenta manu inde ereptus, prima nocte, qua in lares avitos reductus fuerat (uti in itinere mori potius quam a Dei servitio, cui se totum consecraverat avelli inter gemitus, ac acerbos anhelitus optaverat) pientissime obiit.

Horum rumore et experientiis motus terrestris loci D. Comes Chrystophorus Erdödy, pro Fratribus Ordinis et Provinciae nostrae, in eodem loco Monasterium erigere constituit, cuius rei testimonium sit:

Nos Comes Georgius Druget de Homonna, Iudex Curiae Regiaettis; Eques Auratus CC. Zemplin et Ungh. Sup. Comes etc. — Memoriae commendamus etc. — Quod Spect. ac Magn. Comes Chrystophorus Erdödy, de Monyorókerék, Montis claudii et Com. Varasdiensis Comes Perpetuus etc. — Nostram personaliter veniens in praesentiam. — — matura exactaque animi deliberatione praehabita, sponte et libere confessus sit, et retulerit eo modo: considerando et animadvertendo vitam hominis in hoc saeculo esse fluxam et inanem, nihilque esse firmum et proprium in futuro, quam quod bene operando in causas et usus pios conversum et elocatum fuerit, cum et opera eorum sequantur eos.

His exacte perpensis zelo pietatis in Deum, voto Divae Catharinae Virg. et Martyris, cuius capellam antiquissimam ac memorabilem intra montana pene desertam in bonis ac Ditione sua cernens, in territorio possessionis suae Nahách nuncupatae in Poseniensi, ad Castrum suum Iókeő

in Nitriensi Comitatus existentiam habitae, et in monte S. Catharinae divulgato, iuxta praedictam Capellam eiusdem Divae Virginis et Martyris, claustrum pro PP. Ordinis S. Francisci erigere statuit; prout etiam erexit, certisque spatiis et circumferentiis seu limitibus territorii sui supra dicti, pro hortis et pomariis inserendis circumscripsit, et dicti Ordinis Fratibus — — per manus tradidit, dedit, donavitque similiter coram nobis; conditionibus infrascriptis, ut iidem Fratres praesentes ac futuri ibidem degentes, praedictum D. Com. Chrystophorum Erdödy Coenobii Fundatorem, haeredesque ac posteros eius universos pro veris et immediatis Patronis reputent et recognoscant, et in signum recognitionis, Praemissorum in suis Sacrificiis et Orationibus quotidianis, pias faciant commemorationes etc. — — Datum in Castro Vittencz dicti Domini fatentis, in festo S. Thomae Aq. an. 1618.

Accrescente in dies devotione et poenitentium numero, et Conventus et Ecclesia pro capiendis fidelibus insufficiens fuit; quamobrem Comes Gabriel Erdödy, supranominati fundatoris filius, diruto usque ad fundamenta Conventu primo, alium in meliori ac ampliori forma erigi curavit; quod opus praeveniente morte ad perfectionem quidem deducere non potuit, sed suae charissimae conthorali Iudithae Amadé perficiendum commendavit, quae etiam opus perfecit an. 1646. et Conventum pluribus fundis dotavit.

Ambiebant a latere huius Conventus Ecclesiam sex sacella, et septimum S. Crucis, in quo recurrente Festo Exaltationis peculiaris instituebatur devotio — Septem haec sacella Urbanus Papa VIII., septem in Urbe Ecclesiarum Indulgentiis decoravit. — Consecrata fuit Ecclesia cum 8. altaribus die 9. Ian. 1701. per Rmum. D. Ladislaum

Mattyasovszky Episcopum Nitriensem. In crypta dictae Ecclesiae illustres familiae sepeliebantur, signanter e familiis Erdödy et Korlátkeő; ibi tumulum invenerunt: Com. Adamus Erdödy, Nitriensis; Gabriel Agriensis Episcopi; Georgius Iudex Curiae item Ladislaus Korlátkeő etc.

Fuit locus ille uti a strepitu mundi longe remotus, ita fovendae tam Fratrum nostrorum, quam peregrinantium suis temporibus numerosissime confluentium devotioni opportunus. — In hoc Conventu habuit Provincia suum Novitiatum, item Recollectorium; huc disponebantur Patres et Fratres bene meriti, ad maiorem vitae sanctimoniam aspirantes, qui Recollecti dicebantur; hi seclusum a reliquo Conventu receptaculum habentes, solitariam ac contemplativam vitam, magno sane cum saecularium tum domesticorum exemplo, ducebant. — In hoc Recollectorio vixit P. Hyppolitus Schimberger, antea Guardianus, Definitor ac Custos Provinciae, vitae austeritate admirabilis, omni esu carniū et fructuum annis 33. abstinens, in solo pane et aqua vixit, corpus suum ieiuniis, flagellis, ciliciis et nocturnis vigiliis castigans. — Cuius sanctitatis fama ita percrebuit, ut ex hoc, aliisque vicinioribus regnis, non solum vulgaris populus, verum et Episcopi et Magnates ad eum pro expiandis conscientiis confluerint; imo ipse monarcha Carolus VI. se eius precibus impense commendare solitus fuerit. — Obiit hic devotus Religiosus die 13. Iunii anni 1723. anno aetatis 89.

Sed nec deerat huic Conventui Benedictio Dei, quamvis enim numerosos incolas habuerit, par fuit omnes honeste intertenendo; nam praeter ordinarius eleemosynas, quas a familiis Erdödy et Korlátkeő accipiebat, possidebat non contemnendas fundationes pecuniarias; gaudebat insu-

per magnis benefactoribus, — caeteris silentio praetermissis, ab Archi-Episcopis Strigoniensibus quotannis eleemosynaliter percipiebat, 12 urnas vini; florenos 25, frumenti metretas 100. — Et ideo, dum Franciscus Rakóczy oram Tyrnaviensem occupatam tenuisset, Fratres S. Catharineses ad Archi-Episcopum pro eleemosyna recurrere non valentes, ad Nicolaum Bercsényi supremum Rakotzyanum ducem recurrerunt, cuius recursus tenor fuit sequens:

Excellentissime Dne Comes, Generalis etc.

Siquidem e Bonis Archi-Episcopalibus Conventus noster S. Catharinae annuatim eleemosynaliter percipiebat flor. 25; frumenti 100. metretas, et 12. urnas vini; rogamus humillime Excellentiam Vestram, ut praedicta Gratia, per favorem Excellentiae Vestrae hoc etiam anno frui valeamus. — Actum Sentaviae ad Vagum 29. septemb. an. 1704.

Excellentiae Vestrae-Humillimi Capellani.

PP. Franciscani Stae Catharinae.

Resolutio: Vévén ezen Commissiómot Esztergami Érsekségbéli Nagy-Szombathi Cúriához tartozandó Iószágnak rendelt Tisztei, valaminemü Fundatioja vagyon szent Katharinai Pater Franciscanusoknak említett Érsekséghtól, asztat mult esztendőkben tartatott mód szerint, Quietantia erant, plenarie exolvalyiak, Külömbet se cselekedven. — Datum Senthe várában die 30. septembris, an. 1704.

Gróf Parancsnok Bercsényi Miklós m. p.

Conventus S. Catharinae quamvis in monte proceris arboribus tegetetur, non mansit propterea hostibus ignotus, sic an. 1645. Georgius Rakóczy Transylvaniae Prin-

ceps, Sveco contra Austriam foedere iunctus, rabie haeretica cunctas Deo Sacratas aedes devastans, pro sua impicitate, nec huic sacrae solitudini pepercit; verum ei fugatis Fratribus damna intulit quam plurima.

Reparato Conventui aliud periculum accessit an 1663. quo Turca Ujvárino, dein Nitria potitus; cum sociis Tartaris praedarum causa procurrens, non exiguam etiam huic Conventui intulit calamitatem; sed multo maiorem superveniens miles caesareus, qui saecularibus nobilis conditionis personis, ad hunc Conventum velut asyllum confugientibus trucidatis, quin et Fratibus graviter sauciatis, quidquid in Ecclesia et Conventu destrui poterat, destruxit; hac crudelitate ad aures Leopoldi Caesaris perlata, authoribus facinoris morte mulctatis, in compensationem damnorum e Camera Regia 450 flor. resoluti fuerant.

His tandem omnibus successit postremum fatum, dum Conventus hic decreto Iosephi Caesaris, 22. Iulii 1786. aboleretur. Amotis Fratibus, evacuatum Conventum custodiebant milites invalidi usque ad an. 1792. his discedentibus, constitutus fuit distinctus Custos, qui an. 1793. cryptam ingressus, cadavera defunctorum Comitum Erdödy clenodiis spoliavit et eiecit; signanter cadaver Gabrielis Erdödy quondam Episcopi Agriensis, episcopalibus apparamentis, annulo, cruce, catena et pedo privavit, nec non stanneas quoque laminas, quibus tumbae obductae erant, dissecuit et abstulit.

Hac ratione Conventus S. Catharinensis, praecipuum Catholicismi contra lutheranorum montana incolentium assultus praesidium, solus et unicus ex omnibus abolitis Conventibus, ad perpetuas ruinas damnatus; comprobavit veritatem: ubi olim Angelicus Virorum religiosorum, Deum

laudantium cantus resonabat, ibi nunc stryges et famelicos bubones ululare. — En! tantum possunt impii assentatores, iuveni principi mala consilia suggerentes. Sed una notandum: si Iosephus Erdödy, Sup. Comes Nitriensis, Cancellarius regni et fundator, abolitioni huius Conventus, utique nemini praeiudicantis obstitisset, prout Palfy, Eszterházy et Battyány obstiterunt, fors plura vitae solatia expertus fuisset.

APPENDIX

de Vestitu Fratrum Minorum.

Numero pluries occurrerunt iam, et actu occurrunt sermones et quaestiones de Vestibus S. Patris, et primorum Fratrum eius; haud proin sepefluum videbatur, materiam et formam vestitus, quo Fratres utebantur et actu utuntur ex antiquissimis et indubitatis fontibus eruere, et cum Lectore benevolo communicare — S. Franciscus accepta instructione de coelo, protinus abiecto cingulo pelliceo quo pro more illius aetatis utebatur, fune sa praecinxit, quin novae alicuius formae habitum assumsisset; fuit proin vestis primorum Fratrum illi aevo communis, videlicet tunica longa infra genua protensa, et pro signo distinctivo Ordinis religiosi deserviebat fanis cum tribus nodis, utpote: trium votorum ad mentem evangelici Consilii nuncupatorum symbolis.

Verum est, a S. Patre vilitatem in vestibus commendatam fuisse, quin materia et forma vestium ab illo praescripta haberetur. — Ut adeo nec e regula S. Francisci, nec e certa Ordinis traditione, nec e declarationibus Summorum Pontificum habetur determinata materia et forma vestis Fratrum

Minorum, unico excepto mantello, a primordio Ordinis gesto, quo utique etiam saeculares illo tempore utebantur. — Caret dubio, S. Franciscum et eius Fratres, diversos habitus iuxta devotionem offerentium acceptasse et portasse, qui non poterant omnes esse unius figurae et mensurae.

Tandem in capitulo generali Narbonae an. 1260. sub praesidio S. Bonaventurae Balneo-Regiensi, totius ordinis Ministri Generalis celebrato, determinatus et inductus fuit per ipsum Bonaventuram modernus vestitus; hoc comprobatur chronologia historico legalis pag. 27, — item constans exterorum sententia. — Petrus Galezsin in vita S. Bonaventurae Cap. 9. dicit: „Fratrum qui capite aperto, capillisque sparsim defluentibus, more pastorum incedebant, vestitui cucullum adiecit.“ — Raphael Vollateranus lib. 21. antrop. scribit: „Habitum quo nunc utuntur Fratres, instituit Bonaventura, cum per prius pastorum more incederent.“ — Denique Hieronymus Corthesius in Historia Veronensi sic notat: „Erant hi Fratres, sicut ab exactissimis antiquitatem illius Instituti indagatoribus accepi, griseo vestiti, nudipedes incedebant in habitu pastoritio, habentes in caputio acumen aliquanto prominens. — Post aliquot annos datus eis fuit habitus, quem modo portant (Observantes et Reformati) a S. Bonaventura. — Verum etiam post S. Bonaventuram volentibus quibusdam plus sapere quam oporteat; summus Pontifex Ioannes 23 constituit perpetuum finem praefato negotio imponere, ideoque an. 1317. declarationem edidit gravissimam, qua Ministro Gen. et Provincialibus commisit, arbitrari ac praescribere, cuius formae sive figurae atque similium accidentium esse debeant tam habitus quam caputia; iniungendo omnibus et singulis Ordinis Min. Fratribus in virtute obedientiae ac poena Excommunicationis, ut ad mandatum ipsius

Generalis deponant quos deferunt habitus, et aliis iuxta ipsius Generalis arbitrium sive iudicium induantur; huic mandato conformiter forma habitus et caputii in Capitulo Narbonensi per S. Bonaventuram inducta, ab integro Ordine acceptata fuit, et tenetur ab omnibus, institutum S. Francisci profitentibus.

Posse Ordines religiosos cum indultu sui Generalis formam et colorem vestium mutare, missis Franciscanis alias partes telluris uti: Asiam, Africam et Americam inhabitantibus, et alterius coloris ac Fratres Europaei vestitu utentibus; pro asserta rei veritate et in Patria nostra exemplum habetur. — Ordo S. Pauli I. eremite nigris utebatur vestibus.

At dum corpus S. Pauli I. eremite Opera Manuelis Graecorum Imp. effossum, Constantinopolim, dein Venetias translatum, anno 1381. agente Ludovico M. Hungaris donatum, et per Demetrium Cardinalem solenni processione ad monasterium Fratrum eremitarum tituli S. Laurentii supra Budam translatum fuisset; in memoriam tam festivae laetitiae, Paulini cum consensu sui Praepositi Generalis albo habitu et mantello utebantur.

Similis mutatio et in aliis Ordinibus est possibilis; et omnino, confirmata an. 1536. Patrum capucinatorum congregatione, de fastigiata cuspide caputii tanquam pro aris et focis dimicabatur. — Pauper Franciscus! dum vixisset talem portavit vestem, qualem benefactores obtulerant ei; at post mortem omnium sui Ordinis congregationum vestibus abundabat, et induebatur iam qua Minorita, iam qua Capucinus, iam qua Franciscanus. — Quem obsoletismum Ecclesia amplius tolerare nolens, postquam compertum haberet, S. Franciscum non habuisse determinatae formae et materiae habitum, eum habitu S. Bonaventurae induere statuit; eapropter 1726

Romae absolute decisum est, ut in Vaticana Ecclesia inter caeteros Sacrorum Ordinum fundatores, sub forma habitus PP. Observantium, statua S. Francisci erigeretur, prout eam ibidem videre est.

Dominus Deus tribuat suam auxiliarem gratiam, ut Fratres Minores a S. Francisco instituti, et per Divum Bonaventuram Ecclesiae Doctorem vestiti, utriusque sanctitatem in terris aemulari, et quondam a summo omnium bonorum remuneratore Deo, vestem promeritae gloriae in Coelis consequi mereantur.

O. A. M. D. G.



Index Locorum.

	Pagina
Praefatio ad Lectorem	3
Origo et progressus ordinis	5
Origo et progressus viae S. Crucis	10
Vicissitudines Ord. S. Franc. in Hungaria	12
Effectus cladis ad Mohács	15
Origo Provinciarum in Hungaria	18
Historia abolitionis Religiosorum in Hung.	22
Conventus Posoniensis	30
Tyrnaviensis	40
Pag.	46
7. loco Tabsics — lege Fabsics.	53
11. Fratru — Fratrum.	62
18. huis — huius.	69
28. Guberniam — Gubernium.	79
32. 1687 — 1686.	82
36. tnaa — nata.	87
Eadem Civile — Civitate.	90
39. pecuniam — pecuniam.	96
46. Episcopatum — Episcopatum.	105
48. suplicationem — suplicationem.	113
51. specibus — speciebus.	120
64. pietissimus — pietissimus.	26
68. Praest — Praest.	37
71. aquisitis — acquisitis.	42
75. feste — peste.	47
Eadem memorialis — memoratis.	52
76. Conventum — Conventum.	56
77. inalescens — inalescens.	65
78. Conventns — Conventus.	68
80. Oratiouis — Orationis.	70
84. afferendi — auferendi.	73
86. aegit — egit.	74
92. grum — rum.	77
99. audiabatur — audiabatur.	78
105. proprietarium — proprietarium.	79
111. celaria — cellaria.	83
Pag.	80
115. loco supplicem — lege supplicem.	80
122. agaret — ageret.	83
123. peragebat — peragebant.	86
125. Thadaeum — Thadaeum.	87
Eadem Praest — Praest.	90
128. idem — iidem.	96
145. nequa — neque	105
Eadem sufragatur — sufragatur.	113
147. aquisiverunt — aquisiverunt.	120
150. sucrescentiam — sucrescentiam.	26
151. coatus — coactus.	37
155. aquisitis — acquisitis.	42
Eadem Institua — Instituta.	47
160. exeratas — exaratas.	52
Eadem nonmoda — nonmodo.	56
161. redivibus — redditibus.	65
162. publici — publicis.	68
164. fundatorem — fundatorum.	70
168. accessise — accessisse.	73
176. regulis — reculis.	74
177. effluxis — effluxis.	77
179. Crusis — Crucis.	78
189. superfluum — superfluum.	79
Eadem forman — forman	83
Eadem sa — se.	80
Eadem fanis — funis.	83
190. incederunt — incederent.	80

Romae absolute decisum est, ut in Vaticana Ecclesia inter caeteros Sacrorum Ordinum fundatores, sub forma habitus PP. Observantium, statua S. Francisci erigeretur, prout eam ibidem videre est.

Dominus Deus tribuat suam auxiliarem gratiam, ut Fratres Minores a S. Francisco instituti, et per Divum Bonaventuram Ecclesiae Doctorem vestiti, utriusque sanctitatem in terris aemulari, et quondam a summo omnium bonorum remuneratore Deo, vestem promeritae gloriae in Coelis consequi mereantur.




Index Locorum.



	Pagina
Praefatio ad Lectorem	3
Origo et progressus ordinis	5
Origo et progressus viae S. Crucis	10
Vicissitudines Ord. S. Franc. in Hungaria	12
Effectus cladis ad Mohács	15
Origo Provinciae in Hungaria	18
Historia abolitionis Religiosorum in Hung.	22
Conventus Posoniensis	30
Tyrnaviensis	40
Alba-Regalensis	46
Strigoniensis ad S. Annam	53
Kis-Martón ad S. Michaelém	62
Nitriensis	69
Sabariensis	79
Ersékújváriensis	82
Német-Ujváriensis	87
Malaczkensis	90
S. Antonii in Csallóköz	96
Mariano-Pratensis (Cottus Moson)	105
Papensis	113
Sümeghiensis	120
Pestiensis	128
Andocsiensis	137
S. Ladislai (Cottus Szaladien)	142
Veszprimiensis	147
Simontornyensis	152
Residentia Comaromiensis	156

Conventus Aboliti.

Budensis	165
Soproniensis	168
Iaurinensis	170
Kis-Martón in Monte Calvariae	173
Keszthelyiensis	174
Strigoniensis ad S. Crucem	178
Mesztegyensis (Cottus Sümegh.)	179
S. Catharinae	183
Appendix de Vestitu FF. Minorum	189





Magyar Tudományos Akadémia

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

2000 ÉVI ÉRTÉKELÉS

101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150





Posonii

Typis Francisci Reg. Mayer.

1869.